JACOBI BORNITI
J. U. D.

PARTITIONUM POLITICARUM LIBRI IV.

In quibus ordine & summatim capita artis Politicæ designantur

De

REP. { FUNDANDA, CONSERVANDA, AMPLIFICANDA & CURANDA.

Moderatoribus Rerump. inscripti.

Ars Politica longa, Vita brevis, Experientia difficilis & periculosa.





HANOVIÆ,
Typis Wechelianis apud Claud. Marnium, & hered. Jo. Aubrii.
M. DC. VIII.

EPISTOLA DEDICATORIA ad Moderatores Rerump.

PULCRUM *est benefacere Reip. etiam benedicere haud absurdum est. Et qui fecêre, & qui facta aliorũ scripsêre, multi laudantur*, Illustres, Generosi, Nobilissimi, Clarissimi & Prudentissimi Rerump. Gubernatores, Patroni submissè & summoperè colendi; elegans & nervosa sententia Crispi Sallustii est, quâ debita erga Remp. officia exigere videtur, cui post DEUM opt. max. omnia nostra studia debemus. Quodq; non tàm pulcrum, quàm necessarium & fructuosum esse Reipub. arbitror. Et sanè Moderatores Rerumpub. Magistratus, Consiliarios, Judices togatos & sagatos Reipub. suis

functionibus benefacere, & proindè summis præmiis dignos esse in propatulo est. Quid enim Imperia, Leges, Judicia, Consilia in Rep. valerent, nisi essent qui illa exsequerentur. Benedicere quoq; Reip. haud absurdũ esse, imò adæquè ac benefacere summè necessariũ statuo, quo verbo studium historicum innuitur. Quid enim historia quàm exẽplaris Philosophia, in quâ, ut Livii verbis utar, *Omnis exempli documenta in illustri posita monumenta intueri possis, indè tibi tuæq; Reipub. quod imitêre capias, indè fœdum inceptu, fœdum exitu quod vites, Illa enim monstrat, quæ vita, qui mores fuerint, per quos viros quibuscunque artibus domi militiæq; & partum & auctum Imperium sit*, Et ut summatim dicam, Illa est dux & lux vitæ humanæ publicæ & privatæ. Quâ de causâ M. Cicero in Orat. rectè monet, *Plus laboris esse conferendum historiis, è quibus exemplo-*

rum

rum vis ſuppetit , quàm Philoſophorum diſputationibus legendis. Digni proindè laude, honore & præmiis qui res geſtas ſcripsêre : Digniſſimi qui bene geſta imitanda, malè facta fugienda in civilibus negotiis ſibi proponunt.

Cæterum quid expedit legere hiſtoriam & non intelligere? Quod nō legere eſt ſed negligere. Verū ſenſum & fructū in hiſtoriis enodandis Ars politica ſuggerit, quę ad exēpla politica ſua theoremata accommodat, & ad uſum Reipub. prudenter transferre docet, ſine cujus ductu & adminiculo ſtudium hiſtoricum temerarium & infructuoſum erit. Quomodo enim quis de ſtatu Reip. de Imperio, de Legibus, de Conſiliis, Magiſtratibus, de rebus domi foriſque geſtis, de Principum ingeniis & moribus, de converſionibus Rerump. & aliis innumeris doctrinæ politicæ

articulis judicium feret, nisi prius rationem status, Imperii, Legum, Consiliorum, Magistratuum, Principis, & actiones pacis & belli &c. didicerit. Qui haud secus ac Theologus in lectione historiæ sacræ principiis theologicis: Physicus in contemplatione naturarũ, præceptis Physicis: Ethicus in hominũ moribus censendis, morum doctrinâ destitutus, in indagatione exemplorum civilium, Rerump. & publicè privatimq; gestorum, arte Politicâ non instructus, frustrà operam & tempus locabit. Vniversum enim exemplorum examen theoriam necessariò præsupponit, quæ ex singularibus collecta vicissim ad eadem adaptanda est, quæque veluti amussis est, secundum quam singula exempla historica consideranda & dijudicanda sunt. Adeò ut historicum studium politico semper sit ἀντίστροφον, nec alterum ab altero usu segregari

gari possit, nec unquam quis verum politicæ disciplinæ sensum absque Historiâ, verumvé historiæ fructum sine politicis fundamentis consequi valeat.

Quâ de causâ & hi de Republ. benè merentur, adæque ac Historici, qui Reip. scriptis politicis benefaciunt. Historicorum numerus ferè est innumerus priscorum & novorum, & adhuc indies succrescit: ut in hoc amplissimo campo ad noticiam Rerump. & rerum gestarum universi orbis terrarum nihil desiderari videatur. Politicorum quoq; scriptorum magna est copia, sed maxima differentia. Plerosq; enim videris de virtutib. Principum disserere, quod potius ἠθικὸν quiddam: Alios de themate aliquo politico agere: Paucissimos artem ipsam universis & singulis argumentorum partibus & capitibus comprehensam tractare, fortè difficultate, amplitudine & sublimitate rerum de-

territos & cohibitos. Quanquam reperias quosdam Methodum adfectasse, sed non consummasse.

Cum autem id imperfectum sit, quod non ex omnib. partibus, & confusum quod non ordine constet, non potui non persuadere mihi, infeliciter & inutiliter eum in studio politico & historico occupari, qui præceptis partim heterogeneis, partim mutilis, partim confusis innititur. Propterea à primordio ferè studii politici eò animum & nervos intendi, ut si qua posset in re politicâ methodus & ordo inveniri, periculum facerem. Nec successus DEI gratiâ & ope defuit conatui. Comperi enim ratione & usu, quę τεκμήρια omnium artium, Remp. fundandam, fundatam conservandam; amplificandam, & morbidam curandam esse, Quemadmodum corpus humanum suis partibus compositum nutriendum & curandum:

randum: ædificium extructum ſartum tectum tuendum. Quæ Methodus ad Remp. quàm aptiſſima viſa fuit, propterea quòd hiſce quatuor muniis totum officium politici contineatur & expediatur.

Haſce ergò Partitiones ſummis rerum partibus & articulis ἐς πόδα ἐκ κεφαλῆς diduxi, ut prima extremis media utriſq; ordine naturæ convenirent, & corpus quodammodo (non dico ἀκριβῶς & ἁπλῶς, ſed quantum in re ſublimi, intricata & immenſa potè fuit) artis politicæ abſolutum conſtitueret, ne ullum caput aut membrum τοῦ σώματι πολιτικῷ συγγενὲς & eſſentiale deeſſe videretur, ſivè ſpeciatim expreſſum, ſivè generatim ſaltem indicatum fuerit.

Quod an conſecutus fuerim, meum non eſt opinione meâ aliorũ ſententiam antevertere, ſed veſtrum Viri πολιτι-

κώτατοι, Rerump. κυβερνῆται, aularum arbitri, Imperiorum, Consiliorum & Judiciorum præsides, de hoc meo conatu judicium ferre. Quippè qui in politicis negotiis ἐντεθραμμένοι versati, veram non simulatam Philosophiam adfectatis; & non tantum theorematis, verùm etiam & inprimis longo rerum usu, in quo cardo vertitur, politicam prudentiam confirmatis.

Vobis itaq;, Viri politici, hasce lucubrationes inscripsi, non ut putarem vos hisce elementis indigere, verum ut illa vestræ censuræ & patrocinio subjicerem. Censuræ, ut judicium de hac arte ab artis peritis petam, Num certa præcepta politica hîc designata; quæ digna ut in institutionib. & syntagmate quodam politico, apodixi uberiori declarentur, exemplis illustrentur, dubia discutiantur, & ad usum in Rep. accommodanda demonstrentur.

Quod

Quod ſi quædam incerta, mutila, obſcura, inordinata, deprehendantur, calculo veſtro reprobetis, & nota cenſoria notetis, ut monitus munitusq́ue veſtra prudentia quod imperfectum ad perfectionem redigere annitar. Plus enim pollent ingenia quàm ingenium, plus oculi vident quàm oculus; plus multi experiuntur, quàm unus, plus ſapiunt ſenes & veterani, quàm juvenes & tyrones.

Patrocinio autem veſtro ideò credere volo & debeo hoc qualecunque ſit ſtudii, quod benigniores & æquiores patronos invenire nō poſſim quàm Vos, quibus ſalus Reipublicæ ſuprema lex eſt: & quibus ſtudium politicum cordi & curæ.

Vos ergò, Viri prudentes, hæc mea progymnaſmata politica animo æquo ſuſcipere, candido cenſere, benigno proſequi & tueri haud dedignemini,

majorem in modum oro rogoq;. Pro quâ benevolentiâ & tutelâ erga singulos animi gratitudinem, officiorumq; promptitudinem mutuiter repromitto. Valete Viri Illustres, Generosi, Nobilissimi, Prudentissimi & εὐπολιτευόμενοι. DEUS opt. max. Autor & Moderator omnium politiarum vestras Resp. sartas tectas conservet, & suâ gratiâ abundè fortunet. Dab. SuidnicI Silesior. Anno Salutis M. DC. VII. Kal. MartI.

V. V.

O. & S.

JACOBUS BORNITIUS
Torgensis Misnicus.

Autor



Autor

AD BENEVOLUM
Lectorem.



NIHIL dici, *Benevole & Candide Lector*, quod non dictum sit prius; nihil inveniri, quod non antè inventum sit, *opinio vulgi est ex diverbio comico profecta. Quod inefficta humani ingenii vis atque experientia cum grano salis exaudiendum esse liquido evincunt. Si quis enim artes belli & pacis hoc seculo florentes cum inventis veterum conferat, facilè dijudicabit & argumenta & formam rerum multarum olim non innotuisse. Exemplo sit ars militaris & medica. Nam si Iulius Cæsar redivivus operam & opera bellica, quæ hodiè extant, videret, attonitus puto ob disciplinæ & prudentiæ militaris terra mariq; incrementum, redderetur: cujus magna pars ipsum latuit. Quod si Hippocrates & Galenus olim Medicorum Principes varios thesauros & recessus naturæ oculariter hodiè introspicerent, fortè naturam transmutatam esse, aut saltem* DEUM *opt. max. arcana Macrocosmi & Microcosmi jam demum*

hominibus aperuisse, sibi persuaderent. Vt taceam de aliis rebus noviter perfectis & adfectis. Quod artium & scientiarum Methodum attinet, illa hodiè DEI *beneficio ita comparata est, ut etiam intra breve temporis spatium generosum ingenium artium praecipuarũ metam attingere possit. Quod olim ob praeceptorum confusionẽ & ἀταξίαν ne per totum vitae curriculum alicui licuit. Et sane indubium est propediem universas & singulas artes toti orbi terrarum unâ eâdemq; Methodo illucescentes singulari & novo miraculo fore. Methodũ in Theosophia videris exactissimam: in Iure, in Medicina, in artibus Logicis, Metaphysicis, Physicis, Mathematicis, Ethicis &c. ordine naturae conformatam: quâ quis ductus nõ poterit modico annorum intervallo rerum divinarum & humanarum potissimã theoriam non consequi: postea maturiori praxi ad vitae tempus usque percolere & perficere.*

Caeterum ars illa (quod dolendum) reliquarum artium Architectonica hactenus fermè sepulta & neglecta fuit. Quotus enim quisque, qui juri operam dederit, & ad rerum gubernacula adspiraverit, politicam doctrinam excoluit, aut saltem sibi necessariam fore duxit. Multi enim rem politicam in nudâ praxi & experientiâ sitam esse praetendunt, praeceptis politicis planè explosis. Alii & pleriq; sufficisse sibi principia juris Iustinianei & dogmata

quaedam

quædam politica Platonis & Aristotelis delibasse, persuasum habuêre, rerum experientiâ in negotiis belli & pacis longè aliter edocti, quâ confidentiâ ducti, ne dicam seducti, adeò, ut rerum administrationi admoti ab initio inane scutum ignorantiæ prætēdere: & serò q. denuò à cunabulis resipere coacti fuerint. Quanquam enim prudentia civilis, ut & omnium aliarum artium & scientiarum perfectio praxi & experientiâ consummetur, cùm nullus habitus absq; crebrâ exercitatione & cognitione rerū singularium adquiri possit; & extitisse interdum quosdam rei militaris & civilis ductu naturæ, longoq; rerū usu peritos. Nemo tamē sinceriter & verè sentiens inficias ibit, Omnē praxin absq; prævia theoria imperfectam & incertam esse. Quippe quæ basi & normâ suâ destituatur, quod comprobat Iurisprudentia & Medica; Vacillantes enim videris rabulas in actione: imperitos judices in definitione causarum, ab æquo exorbitantes juris principiis destitutos: Empiricos in novis morbis emergentibus, aut in antiquis & notis Symptomate quodam variantibus, planè dubitantes & desperantes, theoria medica eos deserente. Ne dicam de Mechanicis & aliis. Propterea & ad prudentiam politicam comparandam præcepta corporis & ordinis politici nō negligenda sunt, si in negotiis civilibus prudenter & rectè versari velimus. Equidē & jus civile summo

honore & laude dignum: omnibusq́; studiosis politices commendandum est, non tàm quòd à Romanis profectum, quàm quod æquitate quodammodo perfectum: At id satis esse cuivis Reip. statui primâ fronte advertetis, qui Leges Romano-Germanici Imperii & ordinationes aliorum populorum juri civili tamen maximâ ex parte incognitas, aliquantillũ cognoverit. Nec diffitendum est, multa politiis salutaria in scriptis Platonis & Aristotelis reperiri, sed an absoluta & præcipua Rerump. principia contineant, valdè dubito (nisi quis ea leviter tacta esse elevet) quorum tamen prima ratio habenda fuisset.

Nulla enim aut pauca de functionibus summi Imperii inserta observare licet. At quis unquam Politicorum Politica fundamenta verè profiteri potuit: imperio & partibus ejus ignoratis. Ne dicam de aliis quamplurimis articulis, quorum ne mentio facta fuit. Immò nec fieri quidem potuit ab iis, qui civili gubernationi nunquam interfuerunt.

Quin quod hodiè plura prudentiâ civili & militari adinventa, quorum ne quidem cogitatio veteribus in animum venit. Et quantum fragmenta illa ad rectionem Rerump. hactenus fecerint, Principes & gubernatores ipsi politici in actionibus pacis & militiæ satis experti fuerunt.

Quæ cum in cursu & usu studiorum meorum animadverterem, longè aliter de studio juris Romani & Polit:

& Polit: Platon: & Arist: sentire cœpi. Ius Romanum suspiciendum & necessariò discendum esse: legenda etiam Politica fragmenta veterum, sed non perfecta nec satis esse ad habitum politicum comparandum. Idcircò rem ex principiis repetendam esse putavi, investigando, quæ primordia, quæ fulcra & stabilimenta Rerumpubl. &c. non tàm ex opinione Philosophorum, quàm Politicorum & JCtorum decretis, qui juris publ. & priuati gnari fuerunt, quos præceptorum loco secutus & veneratus sum: tum exemplis & experimentis Rerumpubl. confirmatus aliquantùm. Investigata materiæ loco, indies ad formam operis intentus architecti more, qui materiā, ligna, lapides &c. aliundè petit, at artis suæ norma ordinatum ædificiū extruit, destinavi. Itaq; postea rationem ordinis in re politicâ cum ordine corporis & membrorum politicorum contuli, atq; præcepta politica methodo quâdam congessi, quorum antè biennium ἰχνογραφίαν tabulis adumbratam præmisi, nunc partitiones eorundem subjicio, capita & articulos studii politici summatim indicantes, & ordinē hujus doctrinæ designantes. Animus erat theoremata plenius & planius diducere, sed multæ causæ me retraxerūt ab instituto, quas hîc explanare neq; opus alii, neq; mihi integrum esse videtur. Satis arbitror summo digito prudenti lectori indicasse, quid hæ lucubrationes præ se ferant, Lectorem intelligo,

qui periculum in re politicâ fecerit, & verâ non simulatâ Politico sophia imbutus fuerit, qui verum & sincerum de hisce laborib. judicium feret. Namq; hominum de scholâ, foro & plebe, id est, qui ἄσοφοι τὰ πολιτικὰ inanibus speculationibus tantum, vel sanguinolentis litibus & impolitis opinionib. indulgent, istorumq; versipellium, pseudopoliticorum, qui veram doctrinam politicam cum religione & conscientia, polypos nō politicos imitantes susq; deq; habent, præjudicium jamdudum ad Garamantas ablegavi. Quibus objectum velim: Ne sutor ultra crepidam: & ut quisque suo se pede metiatur.

Scio etiam quædam ordinatius & fusius, quædā concisius etiam & absque iteratione in hoc opusculo tradi potuisse, sed malui eorum correctionem (quāvis in populari argumento populariter procedendū) suspendere, donec forte, an calculo politico Sophorū: ad INSTITUTIONES POLITICAS, *quas antè aliquot annos cum ex locis peregrinis reversus, & in aulâ aliquantisper commoratus essem in discursu quodam politico innui, edendas, animatus fuero.*

Interim hisce Partitionibus utere bone Lector, quas mihi non ἐκ παραλόγου & de subito natas, sed ferè trecentis autoribus & commentatoribus politicis (ut taceam de aliis) partim Latinè & Græcè, partim Hispan: Ital: Gallicè &c. scriptis, quorūcunq; copiam

copiam habere licuit, collatis, non sine labore partas esse, certò tibi persuadeas.

Quod si hæc levidensia putes, rem ex re cogita, non dubito te in singulis fermè axiomatibus, ne dicam verbis symbola variorum & amplissimorum argumentorum adeoq; sylvam comperturum, ad quæ accuratè excolenda ne vita hominis suffecerit. Licentius vis eloquar, sine jactatione tamen, velim & exceptem universa & singula ad Remp. pertinentia meditamenta hisce quatuor libris contineri. Sed tu lege & perpende, spe fretus, te propediem etiam de Majestate & functionibus summi Imperii, nec non de nummis percutiendis & conservandis, de præmiis in Republica decernendis, de Aerario conficiendo, de Iure Collegiorum: & de aliis argumentis exercitationes nostras perlecturum. Vale. Dab. SuidniciI in Silesiâ Kal. MartI Anno M. DC. VII.



Cicero.

ALITER LEGES, ALITER PHILOSOPHI.

proinde Bodinus

QUI DE REP. SINE LEGUM AC IURIS SCIENTIA SCRIBUNT, CONSIMILITER FACIUNT, UT QUI NULLIS OMNINO IACTIS FUNDAMENTIS ÆDES ALTISSIMAS MOLIUNTUR:


nam

JURISCONSULTI NON PHILOSOPHORUM DECRETIS, SED POPULARI CAPTU AC SENSU CIVILEM SAPIENTIAM METIUNTUR.

idcircò


LEGUMLATORES ET JURISCONSULTOS VELUTI DUCES IN DISPUTATIONE DE REP. SEQUI DEBEMUS.

NOTA.



NOTA.

Minusculâ literâ argumenta & capita singularia distincta indicant tibi Lector seriem Locorum Communium, quos studiosus Politices ordine præscripto in Historia, Peregrinatione, Praxi & Observatione rerum & negotiorum civilium sequi potest. Ut etiam ambitum & amplitudinẽ studii Politici ἐν συνόψει videat, præmittitur ἰχνογραφία quædam artis & artificis Polit: Anno 1605. Gorlicii edita, quæ plura in recessu, quàm in frontispicio promittere videtur. Tu hisce lucubrationibus feliciter utere & benè vale.




Ars Politica, ſive ſcientia Civilis agit

DE REP. PERFICIUNDA.


Cujus finis

1. Vita Civilis.
2. Perfectio humana & Civilis.
3. Divina contemplatio & Actio,
   In qua acquieſcit.





Vndè quatuor *Munia* politica.


Remp.
1. *Fundare.*
2. *Conservare.*
3. *Augmentare.*
4. *Curare* & *Mutare*, &c.



I. Fundatur Resp.
πρώτως Primitus.
Familiis, aliis perperam à corpore politico seclusis.
Vtrinq; sunt
Personæ, A.
&
Res. B.
Civitate, i. unione civium, quæ distinguitur in
Collegia,
Corpora,
Vniversitates.
δευτέρως Secundario.
Territorio, & Loco, puta
Regionis,
Provinciæ,
&c.
Hinc de Solis & Soli delectu, populorumque naturâ discursus.
Ædificiis sive tectis,
1. Vrbium & oppidor.
2. Pagorum,
3. Vicorum.
Hinc de Structurâ urbium & ædificior. publicor. & privator.


A. Persona sunt
Imperantes. Hinc caput de Imperio.
Publico,
Absoluto & Principis, ubi
Affectiones & partes eius.
Formæ & status in
Vno, Monarchia, ubi Princeps.
Pluribus,
Aristocratia, ubi Proceres.
Democratia, ubi Populus.
Moderato aliisq; potestatibus publicis
Sacris,
Civilibus,
Militaribus
Ordinariis
Extraord.
Privato, Patrũf. &c.
Obsequẽtes. Hinc de Obsequio.
Publicè
Subditi & Cives.
Privatim. Familiares
Vxor.
Filius.
Servus.
1. Jurisdictione, quæ iura 1. demonstrãdi. 2. examinandi. & definiẽdi. 3. exequẽdi & animadvertendi partes cõtinet.
Vndè
Jurisdictio in specie
1. Edicta iuris.
2. Judicũ cõpl.
Animadversio.


B. Res
Naturales quæ parantur.
1. Cultura I.
Super & Sub terrã.
Vnde Metalli fodinæ.
Opificio.
2. Mercatura
Terrestri
Maritima.
Hinc bona mobilia & immobilia.
Publica & Ærarium publ.
Sacrum.
Civile.
Militare.
Privata singulorum.
Civiles, i. Nummi, qui vices naturalium subeunt, qui percutiuntur, &c. à Principe.


I. *Conservatur* Resp. imperio Principis moderate, ut suos fines adipiscatur

Informatione — Veri & Recti — Unde — Scholæ — privatæ, artium, publicæ — Liberal. & animi, Illiberal. & corp. — His Laxamenta cohærent Publ. Animi. Privata Corp.

Ecclef.

Jussu — Veri & Jure Recti *

publico cui connexæ — Pœnæ, Quod, Præmia — Administrandum publicè per — Sacerdotes. Magistratus. Judices. Consiliarios. Legatos.


Defendendum per — Bellum. Munimenta. Fœdera. Clientelas.

Privato singulorum quod etiam post per potestates privatas — Administr. Defendend.

*. Quod tribuendo suum cuique *Harmonicè*, i. ex æquo Ordinem quoq; in se complectitur cum loco & tempore, &c.

Hinc de *Politia* quadruplici agit pars altera Politica { 1. *Sacra.* 2. *Civili.* 3. *Militari.* 4. *Privata.* } In singulis Person. Leges Rerum, &c.


Amplificatur Resp. incremento { Populi, Rerum } Vtrinq; modi { Communes. Proprii, sive speciales. { Directi. Obliqui, &c.


IV. Curatio Reip. agit de
1. Morbis civilib. i. Malis quæ infestant bona Reipubl. quæque fines impediũt, quorum
1. Causæ
Communes
Propriæ.
2. Genera
Publica
Privata
Quoad
1. Personas.
2. Res.
3. Vitasque.
Vitia & Crimina
Calumnias.
3. Effectus
1. Corruptio Reipublicæ quoad
Partem.
Totum.
2. Conversiones
Alterationes.
Interregna.
Interitus, sive Mors Reipub. & fatales period.
2. Remediis politicis
Prophylacticis, sive à corruptione & malis præservantibus
Communibus,
Specialibus.
Therapeuticis, sive curantibus
Mitigantib. morbis immedicabiles.
Tollentibus medicabiles.




II. Tabula.

Politicus est artifex Reipub. perficiundæ.



Media consequendi munia illa, dependent ab

- Arte Civili, propriâ quâ cōparat
  - Theoriâ, i. præceptis certis, & Methodicis politicis.
  - Praxi in
    - Analysi exēplorū
      - Rerūp. præterit: inprimis suæ
      - Rerūp. præsent: & vicinarum Rerūp.
        - Historia humana
          - Vera, quæ omnium populorum
            - Politias
            - Res gestas
            - i. verè descriptas habet Hebræorum, Græcorum. Romanorum & German. Item Hispan. & Gall. &c. Ital. Barbarot. Indor. Quoad præsentes Resp. faciunt Relationes legatorum.
          - Mythistoria Poetar. quæ vero similia.
      - Rerum gestar. in illis.
    - Genesi, Exercitat. Reipubl. domi, forisq;
      - Totali, i.
        - Fundat.
        - Cōserv.
        - Amplificat.
        - Curat.
      - Particulari in
        - Imper.
        - Judicio
        - Consilio.
        - Legat.
      - Vtraq; suggerit
        - Peregrinatio
          - Togata.
          - Bellica.
- Adminiculo aliarum rerū, Quas subministrant vel
  - Vniversales artes
    - Philosophiæ
      - Logicæ
      - Mathematicæ
      - Physicæ & Medicæ.
      - Ethicæ, Oecon:
      - Vnde Theologia, Iurispr.
    - vel alia Artificia & Mechanicæ artes
      - Civiles.
      - Militares.
  - Singulares
    - Historia
      - Divina.
      - Naturalis.
    - Observatio o-
      - Peregrinatione.
      - [illegible] Vsu sive Vita communi [illegible]


Porrò in evolvendâ Historia
I. Ratio cognoscêdæ eius, quæ constat
prævils adminiculis,
1. Chronologia, quæ temporis seriem.
2. Topographia, quæ Mundi & regnorum loca distincta.
3. Genealogia, quæ populorum propagines & origines, Familiarum seriem.
Modo intelligêdi qui perficitur
Lectione congruâ
Ordine, per
Synopsin generalem.
systema totû speciatim.
Attentione, & inquisitione lentâ.
Flectione lectorû, & observat. per locos cõmunes quoad
1. Reip partes, i
Status
Principem
Populum
Leges
Magistratus in Politia
Sacrâ
Civili.
Militari.
Consilia
Judicia,
&c.
2. Familias illustres.
3. res gestas
publicè
Foris.
Domi.
Privatim.
II. Species histor.
Præterit.
Judaica.
Græca.
Romana.
Barbara.
Præsens
Tua & vicina.
Aliena, quò faciunt Relationes Legatorum.

16



D. O. M. A.

Liber Primus De

REP. FUNDANDA.

Quid Politica & Politicus.



OLITICA est ars Reip. perficiundæ: alio nomine Civilis doctrina.

Cujus artifex *Politicus* dicitur, qui scit fundare Remp. & fundatam conservare: amplificare & curare.

Ut autem habitum sibi comparet politicum, qui *Prudentia politica* dicitur, necesse est, ut artem civilem discat & exerceat.

Quod fit Theoriâ & Praxi.

Theoria, Præceptorum civilium cognitione.

Praxi, usu eorundem in analysi & genesi.

Analysi examine & resolutione exemplorum civilium. Quæ sunt 1. *Singulares Resp.*

2. *Res gestæ* Principum, aliarumque personarum publicarum & illustrium, tempore pacis & belli &c.

Rerump. & gestarum cognitioni inservit *historia*: Et *peregrinatio*.

Tum Legatorum *renunciatio*.

Genesis politica, in functione & exercitatione negotiorum politicorum occupatur.

Quæ vel quoad totam Remp. vel

Quoad partem Imperii Judicii, Consilii, Legationis &c. expeditur.

Propterea politico utendum adminiculo *Theologiæ* & *Philosophiæ*.

Quæ artes pacis & belli complectitur.

Inprimis verò *suam* Remp. & *vicinam* exploratam habere necesse est.

Quid Respub: U*nio civilis & Imperium generatim.*

Respub. est Majestate imperantium & obsequentium rerumque civilium, perfectionis humanæ civilis ad benè beatè vivendum, adipiscendæ gratia, legitimè ordinata unio.

Unio dicta est ab Uno sivè Unire, idemque significat ac rectissima quædam conjunctio & connexio, quâ diversa veluti unum fiunt.

Undè generatim Unio nihil aliud est, quàm diversorum connexio, sivè conjunctio, ut unum sint & existant.

In specie autem U*nio civilis* est imperantis & obsequentis cum rebus Unio.

In quâ proindè concurrere intelliguntur Imperium & obsequium, personæ imperantes & obsequentes, nec non res, quæ personis cohærent & inserviunt.

Imperium ab imperando, est potestas regendi impotentes, à DEO, Gentium & Civili jure ordinatum & temperatum.

Potestas est rectæ rationis ordinatio.

Quæ

Quæ consistit in reductione impotentis ad potentiam.

Quod fit *informatione animi in veri & recti studio.*

Tum *jussione recti*, quoad civiles actiones rectè expediendas, secundum virtutis normam, ut piè & honestè vivamus, alterum ne lædamus, suum cuique tribuamus.

Jubere est præcipere, ut aliquid fiat.

Cum comminatione *pœnæ* & promissione *præmii.*

Quod si non fiat, executione pœnæ.

Itaque nullum Imperium sine exequendi & coërcendi potestate est, ne jussum fiat elusorium, sivè sit privatum, sivè publicum.

Quæ partes Imperii.

PArtes Imperii duæ sunt, *Regimen animi*, quod *Doctrina* expeditur.

Et Corporis, sivè externarum actionum, quod *jussione.*

Jussio enim est pars Imperii, quâ præcipit, ut aliquid fiat, quoad externas actiones: Quod si non fiat, exequatur quod jussum est: & contra factum coërceat.

Jussioni subjecta sunt externa hominis opera.

Propterea cogitationes mentis & actiones voluntatis vitiosæ jussioni non subjacent: sed informationi tantùm relinquuntur.

In jussione sunt duæ partes. 1. præceptum, ut fiat quod præceptum. 2. executio & coërcitio, quod si non, aut contrà factum fuerit.

Præceptum bonum & æquum continet, quod generatim præceptis juris exprimitur.

Executio & coërcitio fit coactione ejus, quod im-

peratum, aut pœnæ inflictione, pro modo & proportione ejus, quod contra jussum æqui & boni factum est.

In omni itaque imperio consideranda sunt, Informatio veri & recti: tum Jussio æqui & boni.

Informatio spectat Animi facultates restaurandas, primarias, Mentis, intellectus, voluntatis, rationis: secundarias, Loquelæ.

Et perficitur doctrinâ regentis & disciplinâ.

Jussio præcepto jubentis, & obedientiâ parentis.

Totum Imperium obsequio, quod & disciplinam & obedientiam complectitur.

De formâ Reipub. & distinctione potestatum & Imperiorum in universum.

FOrma Reip. consistit in nexu, Majestate imperantium & obsequentium, rerumque civilium huic unioni cohærentium & inservientium.

Ad Rempubl. itaque constituendam requiruntur

1. majestate imperans, & imperantes subordinate.
2. Universalç obsequium.
3. Res publicæ & privatæ.

Nam in Reip. potestas est vel cum Imperio:

Vel sine Imperio quævis alia.

Utraque vel publica vel privata.

Summa & prima, vel à prima orta.

Cum Imperio illa potestas est, quæ Imperium suo nomine dicitur.

Quod publicum & privatum.

Publicum est, quod publicè exercetur in subditos & cives.

Quod Absolutum & Moderatum.

Pote-

Potestas publica sine Jurisdictione & Imperio est quævis alia potestas publica.

Sacra puta, vel civilis, vel militaris.

Privata est singulorum in singulos.

Vel cum Imperio, quæ est patrumfamiliâs in familiares.

Vel absque Imperio, quæ est tutorum, curatorum, propinquorum, Præceptorum, seniorum &c.

Undè imperium privatum est patrisfamiliâs, quod privatim in singulos familiares exercetur.

Hoc ordine Impreiorum & potestatum continetur tota Respub.

Quis constituat Respublicas, & quo fine.

EFficiens *DEUS* est,

Et *Homines.*

Impulsiva causa est *imperfectio* generis humani & *interitus.*

Finis Reipublicæ est proximus & proximo subordinatus.

Proximus est *vita civilis,* quam imperantes & obsequentes civiliter uniti vivunt.

Quam comitatur *Pax publica.*

Et privata, quæ *Concordia.*

Subordinatus finis, qui à proximo dependet, nec sine illo existere potest, est duplex, Intermedius & summus.

Intermedius est perfectio humana & civilis.

Perfectio humana & civilis est, quæ hominem ut animal civile perficit, ut benè sit, seu ut perfectus sit bonis humanis & civilibus.

Bona humana sunt, quæ hominem ut hominem perficiunt.

Suntque illa, quibus homo in primo innocentiæ statu ante lapsum donatus fuit à DEO,

Partim in toto homine, *Immortalitas & felicitas:*

Partim in partibus:

In anima *Sapientia*, in intellectu

Sanctitas & Justitia sive virtus erga DEUM & hominem in voluntate.

Tum in corpore *adumbratio perfectionis*, quæ in DEO.

Nec non *imperatoria Majestas* & dominium in bestias &c.

Bona civilia sunt, quæ hominem ut civem beant: *Libertas civilis, Jus civitatis, Nobilitas, Dignitas, Honos, Fama, Ordo & Gradus* &c.

Hæc propria ferè cujusque Reipublicæ: illa communia omnium gentium.

Summus finis est *unio hominis cum* DEO, in hac & in alterâ vitâ: *tum hominis cum homine.*

Absolutus quidem hominis & DEI: relatus verò ad absolutum hominis cum homine.

Ex hoc triplici scopo & differentia finium

Politico 1. proponenda est vita civilis, imperio & obsequio, rerumque cohærentia prudenter fundanda, & fundata conservanda.

2. Perfectio humana & civilis, quæ bona supernaturalia, naturalia & civilia complectitur.

3. Summum hominis bonum, reconciliatio & unio cum DEO: tum quoque hominis cum homine, quæ ad illam tendit.

Undè summi boni gratiâ Politicus Rempublicam

cam conſtituere & conſervare intelligitur.

Idque reſtauratione bonorum humanorum,& adeptione civilium conſequi annititur,dum Cives eò ducit regimine.

Cujus functiones doctrina & juſſio: docendo & jubendo, Vera & Recta,

Quod fit Inſtitutione, Relligione, Lege &c.

De partibus artis Politicæ.

Partes artis civilis ſunt

I. Primariæ: *Fundatio* & *Conſervatio.*

II. Conſequentes, *Amplificatio* & *Curatio.*

Ordine enim naturæ, primum Reſpubl. quæ non eſt, conſtituenda eſt, ut ſit, nimirum formæ & materiæ,adeoque unione partium: necnon ratione ſubjecti ſive loci exiſtat & ſubſiſtat,quod fit fundatione.

Deindè opus eſt, ut fundata ſarta tecta conſervetur.

Reliquæ partes, quæ ad incrementum & curam Reipubl. ſpectant, aliud eſſe, vel benè eſſe non afferunt, ſed vel primum augent & amplificant: vel ſi corruptum fuerit, ad priſtinum ſtatum redigere laborant: iiſdem ferè modis, quibus fundatur & conſervatur.

Pars ergò prima politicæ doctrinæ conſiſtit in fundatione, quæ perficitur *unione partium:* tum *collatione* earundem.

Undè duplex fundatio: primaria, quæ partes unit:

Et ſecundaria, quæ unitas loco & territorio certo concludit: nec non domiciliis ſivè tectis includit.

De partibus Reip.

PArtes *Reipublicæ* sunt primæ, & à primis ortæ.

Primæ sunt, quæ sunt suæ originis, nec ex aliâ unione priore uniuntur, & dicuntur *Familia*.

Itaque collectio partium primarum & ortarum facienda est.

De Familiis.

FAmilia est principisfamil. familiariumque personarum & rerum unio, privato imperio facta, mutui obsequii & auxilii in operibus domesticis præstandi causâ.

Personæ sunt Imperans, *Princepsfam.*

Obsequentes, *uxor, liberi, servi.*

Res sunt *bona familiaria.*

Est ergò facienda primùm collectio personarum ad familiam perfectam constituendam & conservandam Mariti & Uxoris: Patris & Filii: Domini & Servi.

Mariti & Uxoris unio fit *nuptiis*.

Undè unio conjugalis viri & fœminæ conjunctio, individuam vitæ consuetudinem continens, divini & humani Juris communicatiò, nuptiis legitimis conciliata.

Unio Filii & Patris fit partim naturâ, partim Jure, quod naturam imitatur, puta *adoptione, legitimatione.*

Unio Domini & Servi, vel Jure gentium, *nativitate & captivitate;*

Vel Jure Civili, *quando homo liber se venundedit* &c.

Deindè

Deindè concessio & dispositio rerum sivè bonorum familiarium facienda est.

Quæ vel sunt propria Principis familiæ: vel Communia.

Vel propria uxoris, puta *Dotalia, Paraphernalia:* filiifam. servor: *peculia*, prout de hisce diversæ Resp. diversimodè disponunt.

Porrò cum civilis unio constet Imperio & obsequio Familiis sanè regendis tribuit sivè potius relinquit Politicus, Patrifamil. imperium privatum, quod natura habet, idque dispositione civili informat & moderatur, ut exindè naturale Civile existat.

Quod pro differentiâ Personarum triplex:

Unus Princepsfam. imperat, uxori, ut maritus; Liberis ut Pater; Servis, ut Dominus.

Cæteri obtemperant.

Undè Imperium *maritale, patrium* & *dominicum.*

Ad fundandam itaque Rempublicam homines vagi familiis sunt colligendi & colligandi imperio. Quæ primæ partes cujusque Reipubl.

Quæ *perfecta* personis & rebus constantes familiaribus.

Imperfecta contrà.

Quæque vel *Nobiles* vel *Plebeja*, de quibus suo loco.

Exindè Politico observandum

1. Quibus & quantis familiis Respub. sivè civitates fundatæ sint.

2. in usu practico: quibus familiis, & ex quibus populis & quibus modis potissimùm fundamenta suæ Reip. & civitatis jaciat.

De Civitate.

CONstitutis familiis in Republ. Civitas fundanda succedit.

Civitas est familiarum, trium saltem, cum rebus civilibus, publico imperio facta unio.

Ex familiis progrediuntur cives: tum conferuntur res civiles.

Quæ proindè partes civitatis uniuntur publico imperio.

Civis est liber homo, qui sub imperio publico constitutus civitatis communione gaudet.

Res civiles sunt *bona publica* quasi populi sivè civitatis.

Imperium publicum est potestas publica civibus imperandi, ut imperata faciant: vetita intermittant, sub pœnæ publicæ comminatione & executione: aut præmii publici promissione.

Imperium publicum & *absolutum* & *moderatum* constituitur.

Quippè quod illud suas vires congruenter & sufficienter exercere nequeat, quàm per hoc, quod ex se derivat & deducit.

Indè evenit, ut quæ societas publico Imperio moderato coit, in specie sæpè dicatur Civitas.

Quæ verò absoluto, Resp.

Quanquam interdum coincidant, nec nisi ratione tantum distinguantur.

Absolutè imperat *Princeps*: moderatè *Magistratus*.

Obsequuntur universi: Qui *Subditi*.

Quocircà ut unione familiarum & civitatis existat

Resp.

Resp. summum Imperium, Quod Majestatis est, Principi committendum est.

De Majestate.

MAjestas, à magnitudine appellata, politica, est summa in Republica universim imperandi potestas.

Cujus esse est, summam esse, atque universaliter imperare.

Summa est, quod superiorem aut parem sibi non agnoscat.

Universalis est potestas, quod universos aut singulos saltem unico imperio complectatur & coërceat.

Est verò Majestas *prima* potestas, propterea quod reliquarum potestatum prima.

Tum quod suæ quasi originis.

Nec aliundè proficiscitur & dependet, nisi ab ipso DEO.

Qui eam proximè antecedit, & cujus vicem in hoc mundo obtinet.

Majestatis principalis finis est *animare imperio* summo universali Rempub.

Subordinatus, & à principali dependens, est *salus seu beatitudo populi*, id est, universorum primùm, deindè singulorum civium, quam Majestati propositam esse oportet.

Subjectum est *territorium universale* extimis Reip. finibus comprehensum.

Affectiones ἑπομένως summam potestatem comitantes sunt Solutam esse & Perpetuam.

Soluta est liberrima, nullius hominis imperio, aut legibus civilibus obstricta.

Nisi quod DEI & *rationis* Imperium, quod utrumque superius est, agnoscat.

Tum quoque *legem* & *pacta Imperii*, quæ connexa & dicta sunt Majestati.

Principi tamen cui inest, *legibus vivere* conuenit, etiam civilibus.

Quæ ad ipsum rectâ vel ἀναλογίᾳ saltem referri possunt.

Quod æquum & decorum desiderat.

Deindè potestas summa est *perpetua & Majestati individua*.

De summi Imperii functionibus.

SUmmum *Imperium* est summa Imperandi potestas, quod Majestatis est.

A quo inferius quodvis, tum quævis alia potestas, præter illud, dependet.

Undè potestas prima, & à primâ dependens existit in Rep. & quæ oritur, & quæ informationem, nec non sustentationem ab eâ obtinet.

Partes & *Jura summi Imperii*, sivè Majestatis, sunt functiones quibus suam vim propriè & distinctim exerit.

Propterea quia ipsum indivisum: ita & Jura ejusdem, propria & individua sunt.

Propria quòd omni & soli, nec non semper conveniant Majestati.

Individua autem, quòd neque *cessione*, neque *præscriptione* subditis communicari queant aut debeant.

Quæque ut effecta formalia Principem à subditis dispescant.

Quam-

Quamvis *administranda committi* possint causâ exigente, nomine & vice Principis: citra violationem & confusionem Imperii

Jus Majestatis vel universim vel partitè considerari potest.

Universale est fundare & conservare Remp. ordinando, administrando & tuendo statum publicum & privatum, nec non amplificando & mutando eandem domi forisvé.

Hinc cætera particulatim & distinctim dependent.

Ordinat enim Majestas Rempubl. in quavis parte & tempore,

Legibus & personis publicis legum & consiliorum custodibus & executoribus.

Tum rebus ad politiam pertinentibus.

Quibus universis & singulis status sustentatur.

Leges ergò *ferre universis & singulis*, summi Imperii præcipuum, & generalissimum caput est.

Nempè de personis & Rebus publicis, sacris, civilibus, militaribus & privatis.

Leges & privilegia interpretari, ut earum, eorumque interpretatio pro Jure habeatur:

Leges mutare.

Jus deindè *pœnæ statuendæ : à pœnâ & vi legum liberandi* & restituendi contra sententiam secundum caput complectitur.

Prætereà *præmia* & beneficia publica impertiri, atque *honores & dignitates* conferre, tertium.

Insuper *Jurisdictionem* & *animadversionem* omnimodam & liberrimam habere.

Undè jus *Imperium jurisdictionemq;* in alios derivandi & distribuendi, aliamvé potestatem concedendi.

Item jus *creandi Magistratus & Judices*, præsertim majores.

Aliamque potestatem permittendi aut confirmandi.

Adeoq; partem seu actum Imperii & Judicii in certis causis singularem reservandi jus, Majestatis caput quartum constituitur.

Huic potestati quintum caput *Provocatio* extrema aut saltem *jus supplicandi* cohæret: siquidem Principis est judicium summum exercere, & summum tribunal instituere.

Sextum caput est jus *conficiendi ærarij* publici, ex vectigalibus & tributis ordinariis atque extraordinariis, aliisque compendiis publicis.

Tum jus *dispensandi de pecuniâ* publicâ.

Septimum est jus percutiendi, assumendi, mutandi & tollendi *nummos*.

Octavum caput continet *jus belli indicendi & finiendi*.

Adeoque jus percutiendi *fœderis*.

Nonum jus indicendi *comitia*, & ordines imperii convocandi.

Decimum est *fidelitatem* æqualiter ab omnibus exigendi.

Undecimum jus Majestatis, est jus mittendi & recipiendi *legatos*.

Duodecimum, jus *dominationis* quod est jus quoddam supremum, boni publici gratiâ, & plerumque necessitate urgente, contra jus commune & singulare statu-

ſtatuendi: nec tamen legi DEI & rationis è diametro advorſum.

Cæterum præter hæc jura, ſunt etiam alia Principibus competentia jura accidentaria.

Primò *Reſervata*, quæ ſunt jura illa de negotiis, quæ ſibi ſuæque autoritati & poteſtati ſeorſim reſervare, imperii boni que publici causâ, diſponenda, nec Magiſtratibus, aut aliis facilè concedere ſolent.

Deindè *Arcana*, quæ ſpeciem Maieſtatis & Reſervatorum præ ſe ferunt.

Præterea *Regalia*, quæ ſunt iura quædam principalia, emolumento & patrimonio Principis deſtinata.

Denique *Privilegia* Principum; quibus præter jus commune ſingulatim gaudent & utuntur.

De Principe, *ſtatu & diſtinctione* Re-*rumpublicarum.*

DE Maieſtate per ſe & generatim perpensâ actum eſt; iam quatenus ineſt, ſpectandum.

Ineſt autem *Principi*, per quem Reſp. ſtatum adipiſcitur & conſervat.

Eſt enim *Status* quaſi forma Reip. quo ſtat & perſiſtit,

Et quia uni ineſt, vel multis,

Uni ſemper τῷ λόγῳ: interdum etiam ſimul perſonâ.

Multis aut paucioribus, aut univerſis vel majori parti:

Status Reipublicæ exiſtit vel *Monarchicus* vel *Polyarchicus*:

Et hic *Ariſtocraticus* vel *Democraticus*.

Hi ſtatus uti perſonarum numero diſtincti ſunt: ita

natura Majeſtatis individua commiſceri non poſſunt.

Simplices ergò ſemper, nunquam mixti.

Omnisque Reſp. ſimplex, nulla mixta.

Niſi quod *modo adminiſtrandi temperetur* qui longiſſimè à ſtatus ratione differt.

Optimus autem Reip. ſtatus eſt illo, qui cuique populo quàm optimè congruit.

Quem prudentia politica eidem appoſitè & conformiter applicat.

Quamvis & ſinguli ſua *commoda* & *incommoda* ſecum ferant.

Quorum rationem in malis præcavendis & curandis haberi publicè intereſt, de quibus ſuo locó.

De Monarchiâ.

MOnarchia ſtatus Reip. eſt, in quo uni Majeſtas ineſt, ſeu quando in unius principatu Reip. majeſtas verſatur.

Unum intelligo regulariter *virum:*

Irregulariter *fœminam:*

Qui Princeps in ſpecie dictus, imperans univerſis & ſingulis.

Proindè ſolutus & perpetuus.

Spontè tamen legibus eum vivere convenit.

De modis conſtituendi Monarchiam.

MOnarchiæ acquiſitio: tum diſtinctio conſideranda eſt: acquirendi modi & ſolennitas, deniq; ipſe monarcha.

Modi capiendi Principatum legitimi ſunt divini & humani.

Divini,

Divini, ut si deferatur Principatus cælitus, puta oraculo.

Humani, qui ab hominum consensu, id est, populi vel optimatum dependent.

Consensus vel liber vel coactus.

Undè Principatus vel spontaneâ vel coactâ populi voluntate acquiritur.

Liber consensus vel expressus vel tacitus.

Uterque verus vel quasi.

Hîc causæ impulsivæ principatus constituendi considerandæ: puta *imperitia imperandi, metus hostis, seditio*, &c.

De Electione.

EXpresso consensu principatus defertur *Electione*.

1. Cum quis *per suffragia* populi, vel optimatum in Principem creatur.

Sivè natalibus regiis antè, sivè posthabitis:

Ex prosapiâ certâ vel incertâ.

2. Vel electione per *sortem*, si inter eligendos sit dubia concertatio.

De Successione.

TAcitum consensum comprobat populus in *successione*: quando Principatus Principi acquisitus in successorem lege successoriâ continuatur & conservatur.

Successio est acquisitio juris defuncti, qui est Princeps, & jure habuit Principatum, quem successor legitimus acquirit.

Estque vel ab intestato, quæ hîc primas tenet;

Vel testamentaria.

Ab inteſtato eſt vel deſcendentis vel collateralis.

Deſcendentes intelligo liberos naturales & legitimos ſimul.

Liberorum eſt mas vel fœmina: id eſt, filius vel filia.

Filius vel primogenitus, vel ſecundogenitus.

Hic ſecundum, ille primum caput efficit.

Primogenitus autem eſt, qui primum eſt natus.

Etiam *ante adeptum Patris imperium*.

Primogenitura ergò ſivè primogeneia nihil aliud eſt, quàm primi geniti ſucceſſio.

Cuius cauſa principalis eſt Lex, quæ ob bonum publicum, & in honorem & favorem Imperii eſt introducta. Ut principatus & qui ſub eo ſunt, integri & quieti perſeverent.

Quod ſi avo imperante, primogenitus moriatur, & relinquat heredem, *nepos patruo* præfertur.

Talis eſt ſucceſſio primogeniti.

Qui *ſi inhabilis* eſt ad adminiſtrationem, vel ob ætatem, vel ob mentis vitium, aut ſi adhuc in utero eſt, aut ſi caſus ſuperveniat, ut Princeps capiatur, adminiſtratio committitur tutori, vel curatori.

Qui vel proximus agnatus, vel alius.

Deficiente primogenito, ſuccedit proximus agnatus.

Filia autem ſuccedit irregulariter apud eos populos, qui fœminarum imperium ferre didicerunt, maſculâ lineâ deficiente.

Teſtamentaria ſucceſſio eſt eius, quem deficientibus legitimis anteceſſor deſignavit, lege, pactoque populi permittente.

Quaſi ſucceſſio eſt Principatus ceſſio.

Sponte

Sponte populi ita defertur Principatus: At eodem invito, acquiritur *bello* legitimo

Inauguratio.

SOlennitas sequitur, *ritus* pro varietate populorum Principem *consecrandi* varius

Quæ vel cum juramento, vel sine eo fieri solet.

Juramento obligatur Princeps justæ administrationis nexu.

Idque purè præstatur:

Vel *lege certa fundamentali*, quæ majestati dicta:

Aut *pactione regni*, quæ inter Principem & Ordines sive Proceres inita informatur.

Ita tamen ne Majestatis jus lædat aut minuat.

Distinctio Monarchiæ.

DIstinctio Monarchiæ est in regnum & dominatum.

Regnum seu Monarchia regalis est, in quâ Princeps subditos gubernat æquitate naturali, libertate ac dominio subditis permisso

Ipsius naturæ legibus obtemperans, undè *Rex* dicitur.

Dominatus, in quo Princeps libertatis ac fortunarum dominus factus, dominico imperat imperio, qui Dominus.

Utrique opponitur *Tyrannis.*

De Personâ Principis.

PRinceps regit seipsum, suosque, id est, familiares & Cives, sivè familiam & populum, uti Princeps:

Proindè triplex ejus dispectio habetur, ratione personæ ejus principalis, familiæ & Reip.

In Personâ Principis causas, tum qualitates Principi congruas perpendi oportet.

In causis Nativitatem & Educationem.

In qualitatibus bona interna & externa, aliaque adjacentia, Principe digna.

Undè consideranda

Nativitas Principis, *Parentes*, *Educatio*, *Institutio*, *Pedagogus*, *Artes* & studia Principe digna, dispensatio studiorum.

Virtutes Principis heroicæ: Pietas & probitas, Prudentia politica & polemica.

Valetudo ubi regulæ vivendi.

Cultus corporis in vestitu & incessu

Exercitia & recreationes animi & corporis.

Convictores, Collusores juniorum Principum

Autoritas in pace & bello

Fama, *insignia* & tituli.

Fortuna

Affectio & odium

Insidiæ, traditiones, interneciones.

Ætas, Anni Climacterici & fatales.

Mors.

Ritus funebris, sepultura.

Testamentum, heres.

Historia & res gestæ Principis.

In Familiâ & aulâ, *Uxor*, *Nuptiæ*, *Liberi*, *Consanguinei*, *Conversatio aliorum*, *Ministri*, *Adulatores*, &c.

Officium Principis quod Rempub. attinet, per universum corpus politicum diffunditur.

De

De Aristocratiâ & Democratiâ.

POlyarchia est, cum civibus collectim unitis, summa imperandi potestas inest.

Qui singulis imperare possunt, cunctis non possunt, atque eo etiam amplius distat à principatu Polyarchia.

Civium autem pars minor vel major imperat: undè forma altera Aristocratia, & tertia Democratia.

Aristocratia ergò, quæ etiam Optimate dicitur, est Reipubl. forma, in quâ minor pars civium in reliquos universos & singulos summum jus habet.

Minor autem pars est, quæcunque dimidio universorum civium minor.

Ex paucissimis *Duumviratus, Triumviratus.*

Plurium numerum definire non opus, nec certum est.

Quò autem pauciores, eò arctius status Optimatum uniri videtur.

Nec Cives omnes optimos, sed ditissimos, bellicosissimos flagitiosissimos simul intellige.

Democratia sivè Timocratia est, cum summum Imperium universis civibus inest, aut saltem majori parti.

Quod si unus dignitate prior cæteris in polyarchia existat, speciatim *Principatus* dicitur, Aristocratię quasi species vel Democratiæ.

De Imperio Moderato publico, Jurisdictione, Judicio & animadvertendi potestate, &c.

HÆc de Imperio Absoluto: sequitur moderatum & limitatum.

Moderatum Imperium publicum est potestas publicè imperandi à Principe concessa, & certâ lege, modoque temperata.

Quæ continet Jurisdictionem & Animadversionem.

Jurisdictio est potestas publica ratione Juris dicundi definita,

Estque vel *Jurisdictio in specie*, quæ potestas Juris demonstrandi, secundum quod cives vivere debent.

Vel *Judicium* potestas noscendi & definiendi Juris, an Cives secundum jura vixerint.

In Judicio partes & modus litigandi consideratur.

Partes sunt Personæ, *Judex*, item Litigantes, *Actor*, *Reus*. Accessor: *Assessores*, *Jurisperiti* &c.

Item *Advocati* & *Procuratores*,

Tum res controversa sive *quæstio*

Quæ *Facti* de

Quo constat

Vel quod *probant*.

Et *Juris*, quod ex *lege* vel *arbitrio* boni viri deducitur.

Modus litigandi est *ordinarius*

Vel *summarius*; vulgo Proceß.

Porrò Judicium est *civile* & *criminale*.

Civile quoad causas civiles.

Civile, vel est *transactionis* vel *litigiosum*.

Item vel *pupillorum*, *Mercatorum* & *nautarum* &c. *Nobilium*, *Principum* &c.

Criminale quoad causas criminales

Deniq; legitimum & ordinarium Judicium ad summum refertur.

Hoc est ad *Tribunal summum*, quod Principis est.

Undè

Undè in Republica summum & inferius Judicium.

Et hæc de Judicio, sequitur animadversio.

Animadversio est potestas publica, certo modo animadvertendi in facinorosos.

Quò *gradus pœnarum*, *modus exasperandi* & mitigandi eas &c. Et *suppliciorum genera* pertinent.

Hoc Imperium inest vel jure, vel privilegio.

Indè quod *mandari* potest vel non potest.

Deindè est vel *vicarium* vel *autocraticum*.

Autocraticum *titulo hereditario* vel *lege fiduciariâ*.

Præterea moderatum imperium est vel *Civile* vel *Militare*.

Denique *ordinarium*, quod certo ordine perpetuò competit.

Vel *extraordinarium*, quod ad statum tempus.

Hæc de publico Imperio. *Privatum* est Principis-familias, de quo suprà.

De Obsequio & Subditis.

HActenus de Imperio: sequitur tandem Obsequium.

Obsequium refertur ad Imperium: & consistit in promtâ & fideli voluntatis obedientiâ, atque effectione eorum, quæ imperio præcepta & jussa sunt.

Præcipiuntur autem imperio discenda, quæ vera & recta: tum jubentur etiam facienda, quę recta & æqua: & non facienda quæ iniqua.

Proindè obsequium spectat disciplinam & doctrinam: tum jussum Principis sivè Legis, reliquorumque Magistratuum: nec non privatorum, qui jus jubendi habent.

Obediētia autē extenditur ad *possibilia jure & facto*.

Nam impossibilium, quæ vel naturâ vel jure fieri non possunt, nulla est obligatio.

Qualia sunt, quæ adversus pietatem, fidem & pudorem imperantur.

Quo in casu *DEO & rectæ Rationi* magis obediendum est, quàm hominibus.

Cætera jussa omnia, etiam *dura & Tyrannica obsequio præstanda sunt*, faciendo quæ imperata, & omittendo vetita.

Cum debito *honore* & reverentiâ, qui Regenti, sivè sit Princeps, sivè Magistratus, Sacerdos, Præceptor, Pater &c. debetur.

Porrò uti imperium publicum & privatum: ita obsequium quoque publicum & privatum.

Publicum est, quod debetur Principi, & iis, qui loco Principis regimini præsunt.

Quod vel *commune* est universorum subditorum, & in obedientiâ omnium actionum & virtutum civilium versatur, quæ præcepta & jussa exigunt universim, puta piè & honestè vivere, alterum non lædere, & suum cuique tribuere.

Vel est simul *speciale*, quod actiones civium proprias pacis, bellique tempore spectat in quovis statu.

Quod singulari nomine *Munus* dicitur, quod vel *Personale* est, vel *Patrimoniale*.

Obsequium efficit *subditum*, qui est sub imperii sivè Reip. tutelâ constitutus.

Qui vel est homo *liber*, vel *servus*.

Homo liber, *civis*, qui jure civitatis gaudet.

Cui opponitur *Peregrinus & Fœderatus*

Civis *nascitur* vel fit *Adscriptione*.

Adscriptus obligatur *juramento subjectionis & fidelitatis*.

Civis

Cives autem *variant* admodum in Rep. pro variâ dignitatis & conditionis differentiâ.

In plerisque tamen Rebuspub. distinguuntur in *nobiles* & *plebejos*, de quibus infrà.

Hæc de publico obsequio: sequitur privatum.

Privatum obsequium est, quod à familiaribus patrifamil. debetur & præstatur: de quo etiam suprà.

Hoc ordine Imperiorum & potestatum, nec non obsequiorum, universa ratio imperandi & obsequendi in Repub. continetur.

Sequitur ut de Rebus videamus.

De fundatione seu Constitutione Rerum ad Remp. pertinentium.

AD perfectionem civilem, quoad Corporis inprimis rationem, pertinent *res* tàm *belli*, quàm *pacis* tempore.

Non tantùm *necessitatis*, verùm etiam *utilitatis*, & interdum *voluptatis* gratiâ comparandæ.

Sanè *sufficientia rerum* requiritur, non planè affluentia.

Constant autem quædam φύσει, quæ natura suppeditat.

Quædam νόμῳ, quæ lex constituit, quamvis materia à naturâ sit, videlicet Nummi.

Porrò cum vitæ conservatio ab aëris haustu & à victu, qui nutrimentum & cultum corporis continet, dependeat, Res sanè sufficientes ad Rempubl. eligi, & comparari debent.

Aëris salubritas & bonitas, in locorum delectu.

Deindè *Cibus*, *Potus*.

Medicamenta.

Amictus,

Habitatio,

Denique *Nummi* parandi sunt.

Ad cibum necessaria sunt *frugum genera:*

Tum *carnes* animalium, *olera* seu fructus terrę & *arborum:* item *condimenta.*

Ad potum *aqua*, cujus etiam usus præter potum varius.

Vinum.

Quod si natura hæc necessaria non ferat, arte quærenda sunt.

Cumque corpus hominis, tum etiam aliorum animantium corruptioni & morbis obnoxium sit, *medicamentorum* ratio in Republica instituenda est. Quò *thermæ* pertinent.

Ad amictum faciunt *linum, lana, corium, sericum* &c.

Ad tecta & ædificia publica & privata, *lapides, ligna, limus, lateres, terra, calx, arena.*

Ad instrumenta victus, amictus & habitationis & aliarum rerum, *terra, lapides, metalla* &c.

Ad ministerium *servi, animalia*, & alia artificialia innumera.

Ad nummos verò *metalla idonea* & pretiosa, aut alia materies apta.

De Agricultura.

HÆc bona parantur *naturâ* & *arte*: vel *mercaturâ*, quæ vicem utriusque subit.

Naturâ enim parari intelliguntur, quæ ope *agriculturæ:*

Arte quæ opificiis & artificijs mechanicis.

Utrumque

Utrumque supplet mercatura aliundè.

Terraecultura vera & quasi: superficialis & subterranea; externa & interna.

Vera colit & curat agros, & *Agricultura* dicitur, speciatim Ackerbaw.

Tum pecora, indè *Pecuaria* Viehezucht.

Quasi fossilia, id est metalla & mineralia.

Tum lapides vestigat & eruit, indè *metallaria* Bergwerck.

De Opificiis.

OPificia sunt artes mechanicæ sivè manuariæ, quæ potius corporis, quàm animi functione perficiuntur, quæ materiam ut plurimùm *rudem* in varios usus humanos efformant, elaborant & excolunt.

Adeoque in plurimis ipsam naturam imitantur, & sæpè numero superant manus opera Handtwergk.

Quorum tanta est vis ut in ditandâ & amplificandâ civitate agriculturæ præstare videantur.

Singula verò præsupponunt materiam à naturâ productam, rerum *vegetabilium, animatarum* & *mineralium.*

Cæterum opificia sunt *propria* quædam, quæ rei propriæ & usui certo destinata:

Quædam *communia*, quæ rei in varios usus.

Quorum tamen quædam *necessaria* omninò:

Quædam *utilia* Reip.

Quædam *voluptaria* censentur.

Ad fruges destinata est *Ars molitoria.*

Ad panem coquendum *pistoria.*

Ad carnem faciunt *Lanij.*

Ad coquendam carnem *Coci.*

Undè & publicè expedit *coquos publicos* in Republ habeti.

Item *Hospitia* sivè diversoria publica.

Præcipuùm condimentum ciborum *Sal* est, quod natura producit; ars verò perficit, ut usui humano commodum.

Undè genus opificii, quod sal coquere & usui idoneum reddere potest.

Ad aquam ducendam ars de *ductibus aquarum & fontium.*

Ad potum faciunt artes, quę potum coquunt & parant.

Cum enim aqua ubivis non adeò salubris, nec ubiq; vini copia: humanum ingenium aliud genus potus invenit, quod *cerevisia*, ex frugibus, lupulo & aquâ concoctum, sivè ex hordeo sivè ex tritico.

Huc pertinent & alii *factitÿ potus.*

Sanitati præservandæ & curandæ inservientes artes sunt (præter *Medicinam*) *Chirurgia*, *Pharmacopœja* & *Chimica* sivè Spagirica.

Tum *Aromataria* &c.

Opificia & artificia ad amictum spectanda sunt, quę materiam primùm præparant.

Ex vegetabilibus, lino, gossipio, cannabi, foliis & corticibus arborum:

Ex animatis, lana ovium, pellibus, coriis, pilis animalium, ex piscium tegumentis: ex avium plumis.

Ex metallis.

Deindè sunt opificia, quæ elaborant & vestimenta conficiunt ex materiis præparatis.

Quoad corpus totum & partes.

Tum

Tum quoad utrumque sexum, virilia & muliebria: nec non communia:

Sartorum, sutorum, pellionum, pileonum &c.

Ad habitationem & ædificia pertinet *Architectura.*

Opificia ad suppellectilem domesticam, & varia instrumenta pacis & belli tempore, *fabrilia, armaria, arcuaria* &c.

Artificia deindè sunt quædam ad ornatum spectantia *pictoria, sculptoria, statuaria.*

Artificia ad rem librariam pertinentia: *Typographia, Chalcograph.*

Ad *Musicam*

Ad *Lusum.*

Item vilissima, ut sunt *carminaria, carbonaria, balneatoria, & tonsoria.*

De Mercaturâ.

DEnique ad parandam sufficientiam rerum succedit *mercatura:*

Quâ bona omnis generis ad Remp. pertinentia aliundè in Remp. seu civitatem *invehuntur:* contra verò superflua interdum aliorsum *evehuntur.*

Tàm *mari* & fluminibus, quàm *terrâ:* hæc *vehiculis* perficitur, illa *navigiis.*

Ad vecturam *planities terræ* expedit,

Quæ vel naturâ ita est, vel quantum fieri potest arte facienda.

Adeoque *viarum publicarum ratio* habenda, ut & idoneæ sint, & tutæ ad vecturam, & iter hominum.

Ad *navigationem* aquas natura, vel etiam ars subministrat.

Ad quam etiam *portus* capax & tutus constituẽdus.

Ut autem sunt innumeræ merces: ita quoque varii & innumeri *mercatores* necessarii.

Sunt etiam certi *mercatus*, sivè nundinæ instituendæ, in quibus peregrini cum incolis varia commercia tractent, & certa loca mercibus exoticis deponendis assignanda Niderlage &c.

Respubl. ergò quoad conservationem vitæ & corporalem perfectionem adipiscendam, constat *Agricolis, pastoribus, venatoribus, aucupibus, piscatoribus, hortulanis, metallariis, opificib. & artificibus manuariis, mercatoribus & nautis.*

De Nummis.

HActenus de rebus naturalibus, quæ naturâ, & vel naturâ & arte simul constant:

Sequuntur res civiles & legitimæ, quæ vices naturalium & artificialium sustinent vi legis, & indigitantur *Nummi.*

Nummus enim est materies, seu res quædam publico valore cætera quæque inæqualia commercii æqualiter dimetiens.

Efficiens Nummi in Rep. est *Princeps.*

Qui non tàm *cudere*, quàm pretium imponere, omniaque requisita & qualitates nummorum in suâ Republicâ ejusque partibus necessariorum præscribere.

Nec non alienos nummos *assumere* potest & debet.

Jus verò cudendi *Magistratibus committi, aliisq́ permitti* hodiè solet.

Tàm *præscriptione* & consuetudine immemoriali quàm *privilegio.*

Finis nummi est dimetiri & æstimare cætera omnia

omnia coæquando inæqualia æqualitate quantitatis.

Proindè non immeritò loco bonorum, quorum valorem & æstimationem continet, & definit, habetur.

Absolutus finis & cum aliis communis, est *Salus Respub.*

Materia nummi est vel ordinaria & genuina: vel extraordinaria & impropria.

Ordinaria materies ea eligi debet, quæ suâ naturâ & proportione rebus ubique coæquandis habilis & stabilis esse potest:

Qualis est materia pretiosa metalli, *auri & argenti* ubique valentis & durabilis.

Deindè quoque materies minus pretiosa adhibetur, *æs*, quod minus durabile & incerti pretii.

Nummi ex auro & argento *puro* cudi possent: sed hodiè ære saltem æquabili portione *misto* formantur.

Mistionis causâ censetur *soliditas*, & durities nummorum: tum quoque, ut *impendium fabricationis* rependatur.

Æquabilis verò mistura est, quæ puritatem metalli utriusque quoad fieri potest, quàm proximè accedit.

Quod fit cùm *vicesima quarta pars* tantùm in marcâ auri, atque in marcâ argenti *pars duodecima* tantùm ex alieno metallo admiscetur.

Forma nummi consistit in *valore publico.*

Valor publicus à *pondere, charactere,* & *æstimio* dependet publicis & legitimis.

Nummo ergò cuique certum & uniforme *pondus* assignandum est.

Deindè signandus *charactere* publico.

Puta Principis, vel Principis & ejus, qui jussu

aut privilegio nummos cudit.

Signatio plerumque continet nomen, effigiem, insignia, vel quodvis aliud symbolum & signum Principis aut cudentis, aut utriusque.

Deniq; *publicam & perpetuam æstimationem*, inprimis ex bonitate & pondere justo, materiæ, nummis indi oportet.

Genuinus ergò & bonus nummus est, qui bonâ materiâ, pondere, charactere, & pretio legitimo constat.

Hæc de materiâ & formâ nummi perfectâ.

Materies *extraordinaria* est, quæ minus habilis est, & in defectum ordinariæ, plerumque urgente necessitate sufflci solet.

Hæc regulariter collatione ordinariæ pro falsâ habetur.

Neque locum nisi necessitatis tempore habet:

Quo pacto etiam ejusmodi nummi causâ cessante, permutatione legitimorum redimendi sunt.

Hæc de causis nummi: sequitur Qualitas.

Quæ est *figura*, quæ si rotunda, tractabilior & durabilior quâvis aliâ censetur.

Deindè quodvis aliud adjunctum. (aperiens:

Puta numerus in proportione cum reliquis valorem

Annus quo percussus,

Et *Nomen* in publicatione exprimendum.

Porrò *nummi partitio* in partes minutiores & minutissimas faciunda est, ut ad qualvis maximi, minoris & minimi pretii merces commutandas seu emendas valeat.

Partes autem istæ, quæ numeris integris constiterint, perfectiores erunt, & usui populi commodiores.

Partitioni convenienter adhiberi videtur *Sexagenarius.* Iccir-

Iccircò ejus ratio inprimis in nummis habenda.

Altera distinctio nummi ex materiâ & charactere desumitur, ut alii *aurei* [illegible] *argentei*, alii *aerei* percutiantur.

Majores ex auro & argento,

Minutiores ex argento etiam:

At minimi ex ære.

Modi autem cudendi nummos duo esse possunt, *fusio* & *percussio*.

Cujus rei gratiâ *officinæ* certæ & publicæ quoad fieri potest, quàm paucissimæ constituendæ sunt.

Tum *Magistri* & *ministri* idonei & probi præficiendi, ut omnis fraus & corruptio evitetur.

Denique necessium est *alienos nummos adsciscere:*

Eâ lege, ut bonitati propriorum æqualiter aut saltem majori ex parte respondeant.

De Loco *sivè Regione Reip.*

PRimaria Reip. fundatio Partes Reip. colligit.

Secundaria collectas loco collocat, & territorio certo definit, tum quoque tectis includit & domiciliis.

Loci verò delectū haberi oportet, ùt sit talis, in quo homines, sivè cives sufficienter, *commodè* & *tutò:* tum quoque *jucundè* vivere possint.

Quocircà rationem loci opportunitate bonorū naturaliū & civilium: quæ necessaria, utilia & voluptuaria, vel ex ipsâ Rep. vel ex vicinâ, metiri oportet.

Undè Qualitas loci Reipub. apti, in requisitis subsequentibus quærenda est.

1. Num *aër salubris?*

Qualis fuerit, qui temperatus.

2. *Aquæ sufficientia & salubritas.*

Quæ ex perenni fonte delabitur, vel fluvio per saxa decurrit.

3. An *cibi & potus copia*?

Tum *medicamentorum commoditas*

Quæ à terræ cultura dependet.

4. Videndum, num regio *ingenia industria* opificiis excolendis apta foveat:

Quorum laboribus non tantùm sufficientia rerum parabitur & elaborabitur: verùm etiam Resp. locupletior & potentior reddetur.

5. Discutiendum, num *commercia* maritima & terrestria frequentissimè tractari possint.

6. Num talis sit locus, in quo facilè *nummorum copia*, qui nervi rerum agendarum adquiri & parari possit.

7. Locus eligendus erit *tutus*.

Qui vel naturâ tutus, vel arte reddi possit.

8. Requisitum à loci naturâ petendum est *amœnitas*.

9. Hæc omnia cum *populi naturâ, moribus & ingeniis* conferenda.

10. Non sui tantùm loci, sed quoque *alieni, vicini,* sivè aliquantillum dissiti, eâdem ratione, quâ dictum est, respectum haberi oportet.

Et quanquam hæc requisita universa & singula uno in loco vix reperiantur, ea tamen sunt seligenda, quæ potiora cæteris.

De Territorio.

TErritorium à terrendo dictum, est ambitus soli marisvé, limitibus certis imperii, jurisdictionisq; exercendæ gratiâ definitus:

Aliàs

Aliàs ditio, diſtrictus, provincia, diœceſis &c. dicitur.

Cauſa eſt DEUS opt. max. qui omnia menſurâ definivit, & Rerumpub. fines conſtituit.

Partes territorii ſunt *termini limitibus circumſcripti*, imperium, jurisdictionemque intra ſeſe complexi.

Limites ſunt ſigna ſivè notæ, quæ fines juriſdictionis territorio inhærentis demonſtrant.

Et dependent vel à *naturâ* vel *ab arte*.

Territorium eſt vel univerſale vel particulare.

Univerſale quod finibus ſummi imperii concluditur.

Particulare, quod terminis imperii juriſdictionisq; limitatæ comprehenditur.

Prout enim regio, ſivè regnum fuerit ampliſſimum: ita quoq; publicè expedit, illud in multa territoria partiri.

Contrà quò arctior Reſpubl. eò parcior territorii diſtinctio.

De Structurâ ædificiorum Vrbis, Suburbiorum, de viis, locisq; publicis & privatis.

Civitas cohibenda & tuenda urbe, ſuburbiis, pagis, vicis.

Urbs eſt nihil aliud, quàm ordinata, commoda, tutaque, nec non ornata ædificiorum compages & locorum diſpoſitio, populi inhabitandi causâ facta.

Partes urbis ſunt *ædificia*, nec non *loca* publica & privata.

Publica quæ publicis rebus & negotiis deſtinantur, nec non publicis perſonis, quæ illis præficiuntur.

E

Quæ vel ad administrationem Juris sacri & profani;

Vel ad defensionem ejusdem spectant.

Ædificia privata sunt singulorum *domus & ædes.*

Deindè spatia Urbis sunt vel *viæ*, & *loca capacia* in urbe, & extra urbem, negotiationi & conversationi civili deputata.

Viæ sunt publicæ & privatæ.

Publicæ quæ cuivis è populo patent.

Loca autem publica commerciis destinata sunt *Fora Venalia.*

Suburbiorum fermè est eadem ratio.

Nisi quod interdum *peculiaria* sibi vendicent *ædificia*, vilissimis & sordidis opificiis idonea, aut à quibus periculum incendiorum timetur:

Vel *villas:*

Vel *hospitia & diversoria publica*, ubi die noctuq; diverti liceat.

Vel denique *hospitalia, nosocomia, cœmeteria* &c.

Quod ad ordinem & dispositionem attinet, primũ attendi debet *Situs totius Urbis*, ut ad frigus & calorem aëris temperatum disponatur.

Deindè quoque materia urbi idonea eligenda, inprimis *lapides* incendii evitandi gratiâ.

Prætereà quoque *figuræ* Urbis rationem habere oportet.

Denique & *facies & ornatus* ejus non debet negligi:

Item *modus*, id est, latitudo, altitudo & longitudo.

Hæc quoad totam urbem.

Quoad partes, opus est, ut ordine disponantur & segregentur *civilia ædificia à sacris, militaria ab utrisque, & ita publica à privatis.*

Formam

Formam quoque modum & ornatum in singulis ædificiis publicis & privatis differentem constitui expedit.

Privatas itaq; domus secundum ordinem viarum publicarum, ad pares dimensiones extrui oportet, ut formam urbis exornent.

Nequicquam tamen exporrectum habeant, ut ne viam aut lucem impediant.

Earum quoque ornatus & splendor mediocris esse debet: neque antecellere publico.

Porrò urbes vel majores sunt:

Vel Minores, quæ *oppida*.

Ex majoribus una solet esse *metropolis*, quæ mater quasi aliarum.

Item *regia* sivè principalis.

In Urbibus Opifices & Mercatores locari oportet, qui post agricolas sufficientiæ rerum & nummorum, quibus Respub. potens & nervosa redditur, invigilent.

Denique *pagos* quoque *& vicos* in regione Reipub. passim locari & distribui oportet, in quibus agricolæ.

Haud rarò tamen quosdam in Urbibus admisceri publicè expedit.

Adeò ut ne minima terræ portiuncula inculta relinquatur.

Et omnia ita ordinanda, ut mutuâ operâ & ope sibi subveniant, nec uni loco omnia deputanda.

Hæc de primâ parte artis Politicæ.



LIBER SECUNDUS DE REP. CONSERVANDA.

De Rep. ordinandâ & distinguendâ in Status.



HACTENUS de Republ. fundandâ dictum: sequitur pars altera politices de Rep. conservandâ.

Respubl. sive Civitas, collecta ex hominibus & rebus, imperioq; summo coadunata, *conservanda est*.

Quæ ut conservetur, primùm *ordinanda* in certas classes:

Deindè ordinata artibus & doctrina *informanda*.

Nec non informata *jure gubernanda* & administranda.

Atque denique *defendenda* & tuenda.

Ordine itaque omnia.

Nimirùm *personæ*, earumq; *potestates & officia*; tum & *res Civitatis & familiarum* disponi & distribui debent.

Quarum

Quarum ministerio, functione & ope cives fines destinatos consequi possint.

Quod ut fiat oportet Remp. in certas & segregatas *classes sivè status* partiri.

Statum intelligo certarum personarum, rerumque civilium, officii & functionis cujusdam civilis expediundæ gratiâ ordinatam unionem & cœtum, vulgò Stände.

Qui duplex, publicus & privatus.

Publicus status consistit in unione personarum & rerum publicarum, quæ Reipubl. & populo universo inserviunt.

Qui sacer & profanus.

Et hic civilis sivè politicus, vel militaris.

Status sacer est potestatum, personarum & rerum sacrarum quæ disciplinæ & religioni inserviunt, vulgò der Lehrstand.

Qui Scholasticus & Ecclesiasticus, sivè Scholarum & Ecclesiæ.

Scholasticus occupatur in disciplinâ & informatione civium.

Ecclesiasticus in doctrinâ sacrâ cultus inprimis divini causâ.

Hinc ergò caput de Scholis & Ecclesiâ.

Status politicus est potestatum, personarum, rerumque civilium sivè publicarum (ita in specie) consociatio, quæ administrationi justitiæ inserviunt, tempore pacis der Regierstand.

Undè caput de *Magistratibus, Judicibus, Consiliariis, Legatis* &c. *togatis*.

Status militaris est, qui militiæ & defensioni Reip. destinatus der Wehrstand.

Denique est *status privatus* singulorum civium & Patrumfamiliarum, qui sufficientiam rerum ad vitam civilem necessariarum & utilium procurant der Nehrstand.

Utraque personas in publicas & privatas distinguere, *ita & bona publica & privata* segregare oportet:

Utraque in *immobilia* & *mobilia*.

De fundis & agris publicis.

NAm ex bonis in Rep. extantibus Quædam *Patrimonio & usui populi:*

Cætera omnia *singulorum* destinantur.

Quippè quod Resp. sine quibusdam rebus communibus & publicis subsistere non possit.

Hæc ergò bona publica partim consistunt in fundis publicis:

Partim in pecuniâ publicâ.

Fundi sunt agri publici, pascua, nemora, sylvæ, flumina, fontes, metallifodinæ, & id genus alia, quæ Reip. assignanda.

Quæ bona immobilia necessariò constituenda sunt, quibus & constanter & diuturnè res populi firmatur.

De Aerario.

PRæter hæc bona, *Nummorum quoque sufficientia* desideratur, quæ bona mobilia dixeris.

Quorum ratio à confectione *ærarii* dependet.

Conficitur ærarium compēdiis publicis & privatis.

Utrisque ordinariis & extraordinariis.

Puta *Reditibus ex patrimonio* & bonis publicis.

Ex *Agris, Venatione, Metallifodinis, Salinis, Solo publico,* U*suris publicis & Monte pietatis, Opificiis publicis & mercaturâ, Monopoliis* &c. Pri-

Privata compendia ſunt partim imperata à privatis conferenda: partim ſpontanea.

Imperata ſunt *vectigalia*, in quibus cauſæ, *perſonæ, res, modus, cenſus, immunitas.*

Tum Species; *Portaria, portoria, ripatica, mulcta, compendia ex jure migrat. Civitatis* &c.

Deindè *vectigal. fundorum privatorum, ædium, molendinorum* &c. *Opificior: artificior: collegior: Mercium, Jumentor. Hæreditat. Lagator. Dotium* &c. *detractiones.*

Extraordinaria ſunt *Capitatio, Hoſpitatio, Jugatio, Collectatio, Nummarij æſtimij auctio* &c.

Sunt & Vectigalia Quaſi Utpote

Mutua pecunia ſumta à civibus & peregrinis, undè *Menſa argentaria.*

Ademptio rerū privat: poſteà pretio redimend. &c.

Denique ſunt *illicita*, injuſta & ſuperflua vectigalia, quæ ad morbos ærarii referenda.

Voluntariæ verò collationes ſunt

Teſtamentar. hæreditates, Legata, Donationes in Remp.

Quarum *cauſæ* προκαταρκτικαὶ attendendæ,

Ex hiſce univerſis & ſingulis conficitur ærarium,

Quod triplex: *Sacrum*, & hoc *Scholaſticum & Eccleſiaſticum*; quod & *Eleemoſynis, decimis* & *primitiis* præ cæteris gaudet.

Civile & *Militare.*

Unumquodq; verò *commune* eſt: ordinariis expenſis deſtinatum.

Et *Sacratius* quo publici *theſauri* reconduntur, extraordinariis impendiis reſervandi.

De Patrimonio ſingulorum.

HÆc de bonis publicis.

Cætera quæque bona *ſingulorum patrimonio & uſui* relinquenda ſunt. E 4

Quorum *possessio* & *dominium* jure gent. & civili adquiritur, de quibus infrà.

De Collegiis, Corporibus & Vniversitate.

CÆterum ut singuli status eò rectius & facilius sua munera expedire possint, opus est, ut in alias partes subdividantur, quæ *Collegia* dicuntur.

Est enim collegium certarum personarũ (saltem trium) ejusdẽ potestatis & muneris, rerumq; ad id pertinentium unio, autoritate Principis facta aut concessa.

Undè in statu sacro *Collegia Sacerdotum, Doctorum, Professorum, artium & scientiarum.*

In statu politico *Magistratuum, Judicum, Consiliariorum.*

In Polemico *militum & exercituum.*

In statu privato *Agricolarum, Mercatorum, Opificum.*

Undè collegia publica & privata.

Unita Collegia inter se *corpus* efficiunt, puta pistorum, sutorum, sartorum &c.

Corpora unita efficiunt *universitatem.*

Quamvis interdum hæc nomina promiscuè usurpentur.

Solent plerumque singula uti suâ politiâ, id est, *jure, legibus, privilegiis, pactis, suâque administrandi formâ.*

Quatuor itaque classes & ordines in Republ. instituti, in quibus personæ & res: easque vicissim Collegiis disponi, oportet.

Quorum munere & mutuo auxilio Cives suam perfectionem & beatitudinem civilem adipisci possunt.

Undè summatim colligitur Remp. constare *Principe, Sa-*

pe, Sacerdotibus & *Doctoribus, Magistratibus, Militibus, Agricolis, Opificibus, Mercatoribus:*

Tum *Fundis* & *Nummis* publicis & privatis.

De Disciplinâ & Artibus.

HÆc de ordine.

Ordinatæ ita Civitatis Cives, ut fines destinatos consequantur, opus est summoperè, ut primitus *artibus animi & corporis* informentur; *doctrinaq; veri* doceantur & ducantur.

Quod fit *disciplinâ* & *doctrinâ.*

Disciplinâ informantur cives, quoad animi & corporis artes discendas.

Animi artes continentur *Theologiâ* & *Philosophiâ.*

Theologia sapientiam divinam divinitus patefactam suppeditat.

Philosophia verò suggerit cognitionem omnium scibilium, quantam mens in hac naturæ imbecillitate consequi potest.

Undè etiam corporis artes includit.

Utriusque scopus est, ut homines notitiâ rerum divinarum & humanarum imbuti, felicitatem & beatitudinem adipisci possint.

Adeò ut impossibile sit, cives absque informatione earum rerum fines propositos consequi.

Porrò cum Philosophiæ artes triplices sint, *Theoretica, practica, & poeticæ:*

Artibus quoque hisce universis cives informari & erudiri publicè interest;

Quanquam non singulos singulis.

In quâ re congrua proportio observari debet, ut sin-

guli cives suis artibus informati, cæteris concivib. mutuiter opem & operam conferant.

Theoreticæ sunt *Metaphysica*, & *Physiologia*.

Cujus species sunt:

1. Physica de Spiritibus. Undè *Angelographia*.

De Corporibus *Stœchiologia*, *Uranographia*, *Meteorologia*, *Metallographia*, *Dendrographia*, *Zoographia*, *Anthropologia*, cujus partes *Somatologia & Psychologia*.

Ex quibus *Medicina*.

2. *Mantica* artes divinandi.

3. *Mathematica*, ad quam *Arithmetica & Megethica*.

Ad quam *Cosmographia* & *Astronomia*.

Quo pertinet etiam *Pyrotechnia*, *Meteoroscopia*, *Dioptica*, *Gnomonica*, *Optica*, *Catoptica*, *Sciographica*, *Hydrographica*, *Nautica*, *Hydraulica*, & *Natatoria*. *Geodæsia*, & *Geographia*, *Chorographia*, *Topographia*.

Item *Musica* vocalis & organica, inflativa & intensiva.

Practicæ deindè artes sunt *Ethica* & *Politica*, quib. includitur *Oeconomica* & *Polemica*.

Ad quam refertur *pugilatoria*, *saltatoria*, *ars equos inscendendi & equitandi*, *ars fortificandi loca*, &c.

Huc pertinent deindè *Jurisprudentia*, *Historia*.

Denique *Grammatica*, *Rhetorica*, *Poëtica*, *Logica*.

Poëticæ artes sunt necessariæ & utiles, quæ opus (præter cognitionem & actionem) etiam post se relinquunt.

Et referuntur ad corpus partim, partim ad animum & corpus simul, de quibus suprà.

Quibus artibus opus est in perfectâ Rep.

Præter hasce necessarias sunt etiam quædã ludicræ: *Gesti-*

Gesticulatoria, Funambulatoria: illicitas verò artes *Magiæ* nomine detestandas & è Rep. eliminandas, complectimur.

De Scholis.

HÆc de Artibus: sequuntur Scholæ.

Porrò instutio, quæ fundat perfectionem, privata sit & publica necesse est.

Privatam exequuntur *Parentes*, vel ipsi vel alii: quibus privatim Educatio committitur.

Publicam Princeps & Magistratus per Scholas publicè apertas.

Hinc caput de Scholis.

Scholæ sunt cœtus docentium & discentium virtutes & scientias, aliasque bonas artes Reip. necessarias & utiles, tàm belli quàm pacis tempore.

Quarum finis est eruditio hominum sivè civium:

Tum salus Reip. quæ exindè resultat.

Siquidem virtutes & artes discendæ sunt, nō tàm ut discenti prosint, quàm aliis, qui ope virtutū & artium indigentes, defectū suum communicatione aliorū bonorum suppleant, tàm in statu privato, quàm publico.

Forma in recto docendi & discendi modo consistit, de quâ in Politiâ Scholasticâ agetur.

Partes ergò Scholarum sunt personæ *docentes & discentes* virtutes *pietatis & probitatis: scientias aliasq; artes*, tàm *corporis*, quàm *animi*, quibus quis informandus est, ut utilitati publicæ & sibi satisfaciat.

Undè Scholæ in *liberales & illiberales* quodam modo distingui videntur.

Liberales tractant potissimùm artes animi.

Illiberales artes corporis, quæ *Mechanica*,

Hinc caput generale de *Præceptoribus, eorum electione* & *qualitatibus, tùm officio & potestate.*

Deindè caput de *discipulis, de eorum ingeniis* &c.

Denique de *libris*, quibus artes continentur.

Quorum causa publicas *bibliothecas* haberi publicè expedit.

Cum verò artes omnibus, omnique in loco æqualiter proponi nequeant, ideò per Scholas diversas disponendæ & distribuendæ sunt.

Indè gradus Scholarum in Rep.

Ut Scholæ instituantur vel *vulgares & vernaculæ:* vel quæ uberiorem artium institutionem continent.

Vulgares seu vernaculæ, in quibus pueri, puellæque primordia pietatis & virtutum, aliasque artes utiles, puta numerandi, metiendi, scribendi &c. discant.

Quæ ubique locorum, non tantùm in ùrbe, verum etiam in *vicis & pagis* rusticorum institui debent,

In cæteris Scholis ingenia perfectius excolenda sunt.

Quæ ita *communes* cuivis promiscuè pateant, nullo habito respectu ingenii, generis & ordinis.

Vel singulares.

Communes institui oportet triviales & Academicas, seu inferiores & sublimiores.

In inferioribus seu oppidanis *propædia* exercenda est, id est, artes humaniores, cum principiis doctrinæ sacræ.

In *Academiis* sublimiores scientiæ tractandæ & absolvendæ, seu *pædia*, quæ in perfectiori Theologiæ & Philosophiæ cognitione & exercitatione occupatur.

Scholæ singulares, certis ingeniis deputadæ sunt, vel ex plebitate & nobilitate simul, vel ex nobilitate tantùm.

Uti

Uti enim ordo plebejorum & nobilium atque officium differunt: ita quoque institutionis ratio differens institui debet, ut plebeji ad artes promiscuas: nobiles ad artes belli inprimis educentur.

Itaque *gymnasia quadam nobilium* instituendorum ordinanda essent, in quibus tàm animum, quàm corpus studio virtutis heroicæ & scientiis, artibus aliisque exercitiis nobilitate dignis excolant.

Quâ ratione & artes pacis & belli quàm optimè addiscentur, & cives eò faciliùs ad suam perfectionem pervenient.

Hæc de Scholis artium ingenuarum.

Illiberalium artium Scholæ sunt penes mechanicos artifices.

Prospiciat itaque Princeps & Magistratus, ut institutio in artibus mechanicis etiam benè expediatur.

Siquidem etiam publicè interest, *artifices & opifices probè informatos* & exercitatos in Rep. habere.

Adeò ut nemo ad exercitium opificii alicujus admittatur, nisi à collegio artis specimine edito vulgò Meisterstück probatus & susceptus fuerit.

De Doctrinâ sacrâ, Religione & Ecclesiâ.

HÆc de informatione civium:

Porrò cives non tantùm in cognitione veri & recti erudiendi & informandi sunt.

Verùm & inprimis per totum vitæ tempus docendi *doctrinâ sacrâ*, quâ ad rectitudinē vitæ in pietate & probitate verâ ducantur, tandemque ad summum bonum & beatitudinem in hac & alterâ vitâ perveniant.

Quæ consistit in verâ *Religione*, id est, in contem-

platione & actione divinâ, sivè veri DEI sensu & cultu.

Hæc enim doctrina divinitus inspirata, & patefacta à DEO docet; Quid DEO, quid proximo tribuendum: & quomodo homini in Rep. rectè vivendum, ut summam suam felicitatem consequatur.

Publicè ergò *verbum DEI prædicandum* est in cœtu publico.

Qui *Ecclesia* dicitur, quæ nihil aliud, quàm publica congregatio doctrinam cœlestem prædicantium & audientium, salutis æternæ adipiscendæ gratiâ instituta.

Siquidem alia bona naturalia & civilia, homo artib. & studiis humanis; at bona supernaturalia non nisi *operatione Spiritus sancti*, qui efficax est per prædicationem verbi divini in cordibus auscultantium, consequi potest.

Quàm necessaria itaque est homini salus æterna; tàm necessaria quoque prædicatio verbi divini esse intelligitur.

Proindè doctrina ejus summo studio Politici, & veri Principis Christiani in Rep. colẽda & propagãda est.

Continetur autem duabus partibus: de *fide* nimirum & *operibus* fidei.

Prior docet, quid credendum; posterior quid agendum.

Fidei regula consistit in *Symbolo Apostolorum*.

Quod continet duo membra. Unum de *DEO*, alterum de *Ecclesia*.

In DEO natura & actiones sivè opera ejus considéranda.

Circa naturam docendum est; quòd sit DEUS, & qualis sit.

Nimirum

Nimirum *unus essentiâ, simplicissimus, perfectissimus & optimus.*

Trinus in Personis, PATER, FILIUS & SPIRITUS SANCTUS.

Opera deindè DEI docenda sunt: 1. *Creationis.* 2. *Redemptionis,* & 3. *Sanctificationis.*

Quod creavit *mundum, Angelos* & *hominem*:

Et q̄ *providentiâ* suâ omnia gubernet & conservet.

Deindè *peccatum* & *miseriam hominis.*

Adeoq; quatuor status hominis, *integritatis, lapsus, gratiæ* & *gloriæ* doceri oportet.

Undè de *Redemptione* per Christum doctrina, de *personâ & officio Christi,* de *fœdere DEI gratuito,* de *prædestinatione, fide, spe, charitate,* de *justificatione* & *sanctificatione hominis,* de *pœnitentiâ* & *vitâ Christianâ, de novissimo statu hominis,* ubi de *morte, resurrectione, gloriâ cœli,* & *pœnâ inferni.*

Prætereà de *Ecclesiâ, Ministris Ecclesiæ,* & *eorum vocatione, potestate & disciplinâ Ecclesiasticâ, objurgatione* nempè & *excommunicatione* agendum erit.

Item doctrina *Sacramentorum* veteris & novi Testamenti, de *circumcisione* & *Agno Paschali; Baptismo* & *Cœnâ Domini* diligenter inculcanda.

Et hæc quidem quoad fidem in primâ parte.

In alterâ parte doctrina de *bonis operibus*, quæ fiunt ex fide secundum legem DEI, & ad ipsius gloriam tendunt, explicanda est Nam Lex DEI est sentētia à DEO data de ratione ipsum colendi, & vitam rectè instituendi, præcipiens facienda, & vetans omittenda.

Quæ triplex:

Moralis, & continet pietatis erga DEUM & probitatis in semetipsum & erga proximum officia.

Summa ejus in Decalogo comprehenditur in duas tabulas distincta, quarum prima de *dilectione DEI.*

Ad quam *preces, invocatio* & *gratiarum actio* pertinet.

Altera de *dilectione sui & proximi.*

Lex deinde *Ceremonialis* & *Judicialis* conferenda est.

Tandem de *libertate Christianâ* disserendum.

Quo ambitu tota doctrina de Fide & Operibus bonis in Ecclesia concludenda & tradenda est *ministerio Sacerdotum & Doctorum Ecclesiæ.*

Non igitur est hîc politici ea docere: sed ut rectè & ritè doceantur, beatitudinis & summi boni adipiscendi gratiâ prudenter prospicere & diligenter curare.

Quemadmodum autem id fieri debeat, in Politiâ sacrâ videbimus.

De Jure constituendo in Repub.

HÆc de informatione & doctrinâ civium: sequitur ut de *Jure* videamus.

Cùm enim Cives vix disciplinâ & predicatione verbi divini boni efficiantur: nisi etiam jussu constringantur, ut rectè & civiliter vivant, partim ob malitiam naturæ partim etiam ob ignorantiam recti.

Ideò in Rep. constituendum est *Jus politicum,* quod rectitudinem vitæ civilis præscribat & præcipiat.

Ad cujus præscriptum omnes, qui in illâ sunt, vitam instituere tenentur, ut fines præstitutos consequantur.

Imperando publicè quæ in Rep. facienda.

Vetando quæ omittenda.

Et interdum quædam *permittendo:*

Quod si non facienda facta, vel quæ facienda, non facta fuerint; *puniendo*.

Vel si benè facta fuerint, *præmiando*.

Itaque Jus nihil aliud est, quàm *Præceptum æqui*: quod Græcis ἐπιεικές.

Exindè Respubl. existit & dicitur *Justa & Legitima*: quæ Juris administratione continetur: Contrà illegitima, quæ *Tyrannis*, de quâ suo loco.

Quid Aequitas, & quod in Proportione Harmonicâ consistat.

Æ*Quitas* est duorum, pluriumvé inter se convenientia & consensio.

Undè æquum erit, quod inter cives duos aut plures conuenit.

Nec enim honestum & turpe hìc per se consideramus,

Sed quatenus honestum est duobus aut pluribus in civili societate.

Hoc definire est Politici: illud Ethici.

Cum autem Justitia cuique suum tribuat, necesse est, eam quoque determinare, quod æquum sit inter cives.

Quod secundum *proportionem Harmonicam* dimetitur & moderatur.

Quæ ex *Arithmeticâ & Geometriâ* conflatur; Rationibus parium & similium inter se modicè confusis.

Quæcunque ergò præcepta sivè jura ex æquo definienda fuerint quoad personas & res, secundum proportionem Harmonicam conformanda sunt.

Ut cuique suum æquè tribuatur & conservetur.

Contrà si disponantur *secundum Arithmeticam*, *omnia erunt paria.*

Sin *juxta Geometricam* tantùm, nulla paria; sed *omnia similia.*

Utrumque cum *Injustitiâ* conjunctum est.

Idcircò paritate & similitudine quâdam mediocriter temperata, Jura personarum & rerum ordinanda sunt.

Quanquam *Geometrica plus in pœnis & præmiis, muneribus & dignitatibus polleat:*

Arithmetica verò in conventionibus & contractibus prævaleat.

Æquum ergò est, id quod pari similiq; ratione moderatè confusum pluribus, aut duobus saltem in civitate convenit.

Iniquum contrà, quod pari tantùm vel simili ratione consentit.

Hoc destruitur Respubl. illo conservatur.

Quid Jus *politicum.*

CUm ergò nulla Respubl. sine Jure subsistere possit, quæritur tandem, quale illud sit, quo Respub. quæque conservanda est.

Habemus enim Jus NATURÆ, habemus Jus GENTIUM, habemus Jus CIVITATUM & Rerumpubl. multiplex.

Nullum hîc per se satis congruum est.

Sed desideramus *Jus politicum.*

Quod est Jus cuique Reipub. congruum & accommodum.

Si enim una eademque populorum natura, & mores: Si una eademque omnium regionum & locorum ratio,

ratio, si temporum, causarum convenientia, aliarumq; circumstantiarum consensus:

Fortè unum & idem Jus universis & singulis populis conveniret: & res politica esset in facili.

Verùm enimverò cùm *Genius ingeniumq; populorum orbis varium:* varia cœli climata; Diversus locorum habitus, & reliquarum circumstantiarum maximum dissidium; adeò ut toto cœlo interdū hominum temperamenta & mores differant: & tempora belli & pacis; nec non montium & vallium, maris & terræ loca admodum varient;

Ideò pro ratione cujusq; Reip. differente, differens Jus est constituendum.

Quod proindè Politicum indigitamus τῇ πόλει *sivè Reip.* cuiq; singulariter & appositè accommodatum.

Adeò ut quod *hîc æquum* statuatur, sępè *alibi pro iniquo* habeatur.

Quod omne *Sapientia & prudentia* Civilis dijudicat & determinat.

Sapientia, quæ rerum divinarum & humanarum cognitionem prudentiæ suppeditat.

Prudentia, quæ pro varietate populorum, personarum, rerū, locorum, temporum causarum &c. Jura divina & humana constituit, & singulis Rebuspub. congruenter adaptat.

De principiis Juris Politici, & de Jure Naturæ.

Porrò hoc Jus politicum colligendum est ex tribus principiis; *Naturâ, Ratione* & *Prudentiâ.*

Hæc enim tria unumquodque Jus politicum simul unita constituunt.

Propterea quòd natura & ratio naturalis in juris constitutione imperfectâ aut admodùm vagari videatur,

Cum tamen jura perfecta, certa & finita esse debeant.

Jus ergò Politicum primùm deducendum est ex Præceptis *Juris Communis*.

Quod *natura & ratio naturalis* inter homines ubiq; æqualiter & communiter constituit.

Quod proindè jus commune dicitur, quo communiter omnes homines utuntur.

Est enim ubique eadem natura, eademque ratio naturalis.

Ideò idem quoque & commune jus à naturâ & ratione profectum & cultum.

Jus naturæ est (à naturâ ad naturam tendens) quod natura omnia animalia docuit.

Natura est potestas DEI: ideò DEUS per naturam jus naturale omnia animalia, quæ in cœlo, quæ in terrâ, quæ in mari nascuntur, docet.

Docet autem *ut generent, seq; & generata* conservet.

Hinc ergò descendit *maris & fœminæ conjunctio, procreatio & educatio sobolis.*

De Jure Gentium.

JUs commune alterum est, quod *naturalis ratio* inter homines constituit.

Et ideò *Jus Gentium* dicitur.

Estque primævum & secundarium.

Primævum, quod cum genere humano proditū est.

Secundarium, quod usu & humanis necessitatibus exigentibus introductum.

Consti-

Constituit verò ratio naturalis inter homines duo Jura, *Amorem* erga *DEUM & hominem.*

Undè Juris Gentium est *Religio* erga DEUM: ut *parentibus* & *patriæ* pareamus:

Et cum Natura cognationem inter homines fecerit, nefas est, hominem homini insidiari; Contrà fas, ut vim atque injuriam propulsemus.

Undè ex hoc jure *bella* orta sunt, *servitutes & manumissiones subsecutæ, discretæ gentes, regna condita, dominia distincta, agris termini positi, ædificia collocata, commercium, emtiones, venditiones, conductiones, obligationes institutæ.*

Exceptis quibusdam, quæ Jure Civili postmodùm etiam adinventæ sunt.

De Jure Civili sivè proprio.

CÆterum cum Ius naturæ & gentium politiis Reump. non satis, neque semper omni ex parte idoneum sit:

Ideò præter Jus commune, prudentia Civilis tertium Jus addit,

Quod cujusque Reip. *proprium est*, & proindè *civile* appellatur.

Quasi quo præter jus naturæ & Gentium quælibet Civitas utatur.

Quod fit, *dum Juri communi vel aliquid addit, vel detrahit.*

Nec enim totum à Jure Naturali & Gentium recedit, nec per omnia ei servit.

Addit autem Juri communi, cum id supplet, eo quod deest, idemque declarat, & certis solennitatibus informat.

Detrahit cum ejus vagum cursum coarctat, & certo limite definit.

Cujus *fundamentum & ratio* plerumque solet esse necessariò vel probabiliter *vera*, vel saltem *ficta* ad similitudinem veri.

Porrò jus civile constituitur ita æquum, vel simpliciter vel comparatè.

Simpliciter cum absq; collatione alius Juris cōditur.

Comparatè quando cum alio confertur, vel tempore libero, vel necessitatis.

Libero tempore delectus præstātiæ Juris habēdus est.

Ut *Jus humanum cedat divino:*

Civile naturali & Gentium;

Privatum publico:

Singulare communi:

Utile honesto.

Nisi quod ea quæ simpliciter honesta non sunt, sæpè evidenti utilitati postponantur.

Tempore verò non libero hæ regulæ aliquantillum cessant.

Cum *necessitas* legem non habeat,

Exceptis iis, quæ *simpliciter pia & honesta sunt, quorum violatio semper impia & turpis est.*

Exindè constat, quod omnes populi, partim Jure communi, partim proprio utantur,

Quod utrumque unitum nos Politicum dicimus.

Quippè quod collectum sit ex præceptis naturalibus, gent: & civilibus, & suæ Reip. accommodatum.

De sanctione Juris & Lege.

HActenus de Jure politico, quid sit, & quib. principiis constet.

Nunc videndū est, quomodo & quâ *autoritate* constituendum in Rep. Jus

Jus politicum constituitur in Rep. vel *Sanctione*, vel *Consuetudine*, (matum aut populi.

Sanciendum enim est *Jus autoritate Principis, Optimatum aut populi.*

Aut ejus, cui interdum potestatem sanciendi committunt.

Hoc Jus ita sancitum, quia plerumque in scripturam redigi solet, *Jus scriptum*,

Et speciatim *Lex* dicitur. (res:

Omnis verò *Lex generaliter* in omnes personas & res:

Et de iis casibus ferri debet, *qui ἐπὶ τὸ πλεῖστον*, id est, ut plurimum accidunt, non qui ex inopinato, quos legumlatores consultò prœterire solent. (complectatur,

Adeò ut *omnes personas* obliget, & *plerosque articulos* complectatur,

Lex Generalis in Monarchiâ *Constitutio:*

In Aristocratiâ *Senatus Consultum:*

In Democratiâ *Plebiscitum* dici solet.

Hanc potestatem condendi legem solet Princeps *concredere & committere Magistratib. civitatib. & municipiis.*

Undè Jus *Honorarium*. (nicipiis.

Jus *Statuarium* & *Municipale* nomen habet.

Omne tamen vel expressò vel tacito saltem consensu Principis constitui intelligitur.

Adeò ut contradicente Principe tale Jus nullum sit.

Legumlationis pars altera consistit in *interpretatione* Juris & *Mutatione*, de quâ suo loco.

De Privilegio.

Ita generaliter Lex ferenda est:

Nisi quod interdum etiam Princeps *Jus singulare* indulgeat contra tenorem rationis.

Cujus causa debet esse *evidens utilitas*.

Inprimis publica.

Conceditur autem *personæ* vel *rei*.

Personæ *ob meritum:* vel cum ob facinus singulare *exemplum pœna* statuitur. Deindè *Rei* quæ etiam favorem meretur.

Sed hoc Jus ad consequentias non est producendum.

De Scripturâ, partibus & publicatione Legis.

HÆc de Legis sanctione:
Sancita solet *scripto* contineri & *publicari.*
Scripturæ tenor comprehendit *præceptum,*
Interdum *rationes* præcepti.
Plerumque cum comminatione *pœnæ.*
Quas partes Legis principales dixeris.
Accessoriæ sunt præloquium & clausula, quæ *annum, diem* &c. continent.
Deindè *Lex publicanda* est, ut omnibus innotescat.
Et post *certum temporis* lapsum obligationem pariat.

De Consuetudine.

HÆc de Jure sancito:
Jus sine sanctione est Jus, quod diuturnis moribus tacito populi consensu comprobatis introducitur.
Et dicitur *Consuetudo.*
Adeò ut de quibus causis scriptis legibus non utimur, id custodiri oporteat, quod moribus & consuetudine inductum est.
Quod Jus, *quamvis postea in scripturam redigatur,* naturam tamen legis non induit.

Juris

Juris divisio in publicum & privatum.

HÆc de Jure in genere:

Porrò Jus in Repub. condendum est *publicum* & *privatum*:

Utrumque de *Personis* & *Rebus*.

Publicum publicè utile est.

Privatum quod privatim.

In consequenti publicum tendit ad privatum & contrà.

Cujus utriusque Harmonia Resp. quàm optimè se habet & conservatur.

Publicum ergò jus est, quod ad statum Reipublicæ spectat,

Nimirum quod ad *summum imperium: eumq́, qui imperio præest adeoq́, ad statum præsentem.*

Tum quod ad *classes & politias publicas* pertinet.

De Jure summi Imperii, Status, Reipubl. & Principis: Tum Jure rerum publicarum & principalium.

JUs publicum summi Imperii complectitur sanctiones *de functionibus Majestatis: Leges, status fundamentales & pactiones imperij.*

Jura Principis, Populi, Optimatum.

Arcana Sophismata & Simulacra Imperij

Sanctiones de *reservatis, regalibus & privilegiis principalibus.*

Leges *agrorum publicorum*

Ærarii publici & fisci.
Jura *vectigalium* & *collationum* &c.

De Jure publico sacro.

JUs *publicum sacrum est*, quod in *personis sacris*, earumque *officio & potestate:*
Tum *rebus sacris* consistit.
Personæ sunt *Sacerdotes*
Res *mysteria sacra.*
Tum *bona*, quæ religioni inserviunt, sacra,
Vel quasi, quæ *Ecclesiastica* aliàs.
Constituendum itaq; Jus de personis Sacerdotum, & de mysteriis sacris & articulis religionis: tùm de rebus & bonis sacris:
Quod pro varietate Rerump. varium fuit.
Hodiè ferè uniforme ex sacris fontibus desumtum, & ex Canonibus partim declaratum.

De Jure publico Civili.

JUs publicum Civile est, quod de Personis Civilibus pacis administrationi inservientibus, earumque muneribus,
Puta *Magistratibus, Judicibus, Consiliariis, Legatis:* tùm de *imperio* & *potestate* earum, puta quod de ordinario Imperio, Jurisdictione, Consilio, Legatione agit.

De Jure publico Militari.

QUod in *Ducibus belli*, necnon *rebus ad militiam pertinentibus publicis* consistit.
Cum quo bona & *beneficia feudalia* conferenda, de quorum Jure singulatim.
Aliaque ducum & militum privilegia.
Item *res sanctæ, uti porta, muri* &c.

De

De Jure privato Personarum.

HÆc de Jure publico:

Privatum Jus est, quod ad singulorum æquitatem & utilitatem spectat.

Singulos intelligo in privato statu.

Quorum jus vel ratione *Civitatis*, quatenus sunt *cives:*

Vel ratione *familiæ*, quatenus sunt *Familiares* &c. investigandum.

Modus *adquirendi, conservandi* & *amittendi.*

Quicquid enim Cives agunt, vel agũt ut Jus adquirant, vel ut acquisitum conservent: quod pôst quoque interdum amittunt certo modo.

Primum ergo Civium singulorum jus in universum: pôst in specie considerandum est.

Universum spectat vel *viventes* vel *defunctos,*

Viventium & in civili unione conversantium Jus, quoad personas dependet à *Statu* & *Obligatione.*

De statu hominum in Repub.

STatus est triplex ex Jure *Naturali, Gentiũ & Civili.*

Statu naturali, Civis est *homo*, habens caput naturale,

Quod in unione corporis & animæ consistit.

Qui *natus* est, vel *exsectus*, vel adhuc *in utero* qui Venter dicitur.

Homo in lucem editus, vel est *Mas*, vel *Fœmina.*

Interdum *hermaphroditus*

Mas est vel *perfectus*, vel *Castratus*, vel *Spado* naturâ vel facto.

Quod homo ratione sexus est.

Ratione adjuncti naturalis in homine *Ætas* & *Valetudo* consider.

Ætas est *impuberum* vel *puberum*.

Quæ *pubertas* plena, vel non prorsus plena.

Adolescentia, Juventus, Senectus.

Invaletudo Animi est *Dementia*, *Furor*, *Prodigalitas*.

Corporis *Morbus sonticus* & non sonticus.

Internus & externus, *Muti, surdi, cæci* adfectus

Statu ex Jure Gentium homo est *liber* vel *servus*.

Undè *Libertas* & *Servitus*.

Status ex Jure Civili tertius est, quo Homo est *civis*.

Cui opponitur *peregrinus*.

Civis est *Nobilis* vel *Plebejus*.

Vel *aliâ cum dignitate* constitutus.

Quos *jure, signis, privilegiis, & vestitu* distingui publicè expedit.

De Obligatione.

ITa se habet Jus status Civium.

Alterum Jus consistit in *obligatione*.

Quæ ex *conventione*, vel ex *maleficio* oritur.

Obligationis ergò Modi adquirendæ sunt Conventio & Maleficium.

Conventio vel est *Pactum & Pollicitatio:*

Vel *Contractus*, qui *Verus* vel *Quasi*.

Conventioni & contractui *distractus* opponitur.

Maleficium verè vel Quasi.

De Jure rerum singulorum.

ET hæc de personarum Jure

Jus rerum privatarum deducitur

Ex

Ex distinctione in *corporales & incorporales*: quæ *servitutes*.

Tum *Possessione & Dominio*.

Ubi modi adquirendi Juris Gentium, *Occupatio, Traditio* &c.

Et Juris Civilis *Usucapio, Donatio, Legatum*.

Successio ex Testamento & ab intestato.

Tandem agendum est de Jure *Cadaverum, funerũ, sepulturæ, monumentorum*, privato.

Conservatio Juris personarum & rerum dependet ab *Actionibus*, Quibus opponuntur *Exceptiones*.

Amissio à *Solutionibus*, &c.

De Jure Civium speciali.

HÆc de Jure Civium singulorum in universum: Deindè in specie eorum Jus considerandum est, quatenus certo jure gaudent, ut *Agricolæ, Opifices, Mercatores*;

Undè *jura & privilegia Collegiorum* eorundem.

Hæc de Jure Civium privatorum.

De Jure familias.

PRivati denique sunt familiares in familiis perfectis & imperfectis.

Quæ *nominibus* aliisque *signis*, tum mares & fœminæ *vestitu, officiisq;* singularibus discriminandæ.

Undè de Jure *Maritalis potestatis & obsequii uxoralis*.

De Jure *Sponsal: & connubiorum*.

De Jure *Dotium*, & *donat: propter nuptias*.

Item de dissolutione *Sponsal. & Matrimonii*

Deindè de Jure *patriæ potestatis*, & *filialis obsequii*.

De *Adoptione*, *Legitimatione*, *Unione prolium*.

De *peculio* filiorumfam. profectitio, adventitio, castrensi.

Item de Modis, *quibus Jus patriæ potestatis solvitur*.

Præterea de Jure *Consanguinitatis & Affinitatis*.

Denique de Jure *potestatis Dominicæ* & *obsequii servilis*.

De *Servis natis & factis* Captivitate, venditione suiipsius &c.

De *peculio servorum*.

De *Manumissione*.

Jure *patronatus & libertor*.

De *Adscriptis*, *Hominibus propriis*, & iis qui *Manus mortuæ*.

De Tutelâ & Curatelâ.

SEquitur Jus Tutelæ & Curatelæ.

Undè de *pupillorum tutelâ*.

De *minorum*, de *majorum*, *virginum*, *uxorum*, *viduarum*, *senum*, *morbo sontico laborantium*, *mente captorũ*, *Furiosor: hominum simplicium* & *prodigorum* curâ.

Deque *eorum*, *bonorum* administratione.

Item *quibus modis tutela & curatela* finiatur.

De Emendatione Propinquorum.

ITem de *Emendatione Propinquorum*, *Seniorum Præceptorum* &c.

Hoc ambitu Jura personarum & rerum, publicarum & privatarum concluduntur.

De quibus universis & singulis disserendum esset, quomodo in Rep. constituenda, si unam Remp. subjectam haberet Politicus.

Sed

Sed quia pro *varietate populorum & circumstantiarum Resp. admodum variant*: ideò hoc totum negotium committendum est prudentiæ civili.

Nisi quod de singulis quædam generaliora attingi:

De specialibus verò per discursum collatione Jurium & Rerump. institutis agi possit.

Jus tamen *divinum* & Hebræorum, Jus *Græcor.* Jus *Roman.sivè civile*, Jus *Canonicum*, Jus *Saxonicum* &c. majorē & potiorē partem Juri suppeditabunt politico.

De incitamentis Obsequii.

HÆc de Legibus:

Quarum vis nulla est, nisi Cives ad earum obsequium quibusdam *incitamentis* constringantur, flectantur & instigentur.

Quæ sunt *Censura* & *Pœna*; *Præmium* & *Exemplū*.

Metu enim correctionis & coërcitionis mali à vitiis & delictis abstinent & deterrentur:

Aliique meliores redduntur.

Beneficiis verò & exemplo ad obsequium recti eò magis moventur & pertrahuntur.

Quâ ratione Resp. in tranquillo constituetur & virtutis studium excitabitur.

Ne ergò homines contra honestatem quid committant leges muniendæ & sanciendæ sunt metu censuræ & pœnæ.

Quod si contrà fecerint, corrigendi & coërcendi.

De Censurâ.

ITaque primùm in Rep *censurâ opus est*, quâ facinora leviora, vitia & mores corrupti, qui pœnā adhuc mereri non videntur, corriguntur & emendantur.

Puta *luxuria*, *gula*, *crapula*, *lascivia in vestitu*,

prodigalitatis in conviviis, ædificiis, aliisq; sumtibus inanibus, lusus, ocii, pigritiæ, Veneris, & quæ sunt id genus alia.

Quippè quo medio homines libidini animi indulgentes confunduntur, atq; metu ruboris & notæ censoriæ à vitiis arcentur.

Huc pertinent *severa dehortationes & comminationes à Sacerdotibus & Magistratibus facienda.*

De Pœnâ.

CÆtera facinora graviora metu pœnæ cohibenda sunt & coërcenda.

Quę *delicta* dicuntur, & adversus leges committuntur.

Undè *pœna* describitur hominis malè viventis & contra leges delinquentis coërcitio.

Pœnæ autem propter *facta, dicta, scripta, consilia* imponendæ sunt.

Ut unusquisque ex suo facinore

Et plures ejusdem delicti in solidum teneantur.

Estque pœna *vel expressim* in singulis delictis frequentioribus & atrocioribus sancienda; vel saltem *arbitrio* Magistratus in levioribus casibus committenda.

Normâ Justitiæ secundum proportionem Harmonicam, ita tamen, ut hîc Geometricę rationes aliquantillum prævalere videantur.

Quâ pœna delicto æqua præfinienda, id est, neque major, neque minor.

Circumstantiis personarum causarum, loci, temporis, quantitatis, qualitatis, eventus &c. prudenter pensitatis.

Coërcitio

Coërcitio verò fit *privatione* quorundam bonorum humanorum & civilium, ad beatitudinem civilem pertinentium: Puta *Vita sanitatis & perfectionis corporis, Fama dignitatis, civitatis, libertatis, pecunia,*

Adeò ut interdum is, qui non luat ęre, luat corpore.

Exindè pœnæ *capitales* & varia *suppliciorum* genera:

Et *non capitales* quævis aliæ oriuntur, *infamia, mulcta, confiscationes* &c.

De Præmiis.

HÆc de Censurâ & pœnâ:

Præmiorum prætereà promissione & spe, non minus ac metu correctionis cives bonos effici oportet.

Uti enim pœnis maleficia: ita & justitiæ norma benefacta præmiis digna sunt.

Adeò ut nulla Resp. salva existere possit, nisi bonis & benè meritis præmia conferantur.

Est enim præmium beneficium benè viventi & merenti de Rep. publicitus communicatum.

Communicandum prudenter & justè ab eo qui potestatem publica beneficia impertiendi habet.

Secundum proportionem Harmonicam, circumstantiis prudenter discussis.

Et quidem *benè viventi & merēti* de bono publico.

Immerenti enim nihil, aut pœna debetur.

Benè autem quis vivit, qui ad præscriptum Legis.

Benè etiam meretur, qui de *Rep. totâ, vel ejus parte*, virtute & functione civili meretur.

Uti sunt *Sacerdotes & Doctores in Statu sacro.*

Principes, Magistratus, Judices, Senatores, Legati JCti in statu politico.

In statu militari, *Duces, Centuriones, Milites.*

In privato *Agricola, mercatores, opifices, patresfam.* & alii.

Qui universi munere & industriâ suâ Reip. benefacere possunt: sed modo inæquali.

Proindè etiam *inæqualia præmia* tribuenda.

Sunt verò triplici differentiâ beneficia:

Quædam enim sunt *Gratia:* quædam *Honoris:* quędam *Emolumenti.*

Singula declarantur suis *symbolis*, communibus Populorum, vel propriis Reipubl.

Præmium *Gratiæ est*, cum princeps benè meritum faventiâ prosequitur, Puta cum Princeps vultu, alloquio, colloquio, mensa &c. benè meritum dignatur.

Præmium *Honoris est*, cum Princeps benè merenti honorem confert.

Cujus symbola varia, puta *tituli, nomina, vestimenta & ornamenta.*

Quod vel est *Nobilitatis.*

Quæ ob virtutem civilem excellentiorem togatam & bellicam confertur.

Cujus symbolum hodiè sunt *insignia gentilitia:*

Olim *statuæ, columnæ, imagines* &c.

Vel est *dignitatis alius.*

Cum munere publico Sacerdotis, Magistratus, Judicis, Consiliarii, Senatoris, Ducis &c.

Vel absq; munere, uti dignitatis & ordinis *equestris, patriciatus, Doctoratus.*

Cujus quoque symbola varia esse possunt, veluti *toga, latus, clavus, fasces, sceptra, annulus, corona* &c.

Denique *præmium* Utilitatis est, cum Princeps concedit *privilegia & munera*; puta *veniam mortis, jus libertatis, civitatis, immunitates, opes*, & id gen⁹ alia beneficia.

Quo

Quo *beneficia feudalia*, quæ fidelitatis & servitiorum bellicorum gratiâ conceduntur, referenda sunt.

Quanquam etiam quædam majora dignitatem annexam tribuant.

Princeps ergò pro discrimine meriti conferet præmia.

Ut Justitiæ satisfaciat, & virtutis studium excitet, adeoque ipsius Reip. salutem promoveat & conservet.

De Exemplo.

HÆc de præmiis: restat ultimum incitamentum.

Quod est *exemplum* bonæ vitæ Principis, & eorum qui vice Principis imperiis & regimini publico præsunt.

Quo veluti speculo cives videant, quid sequendum, quid fugiendum.

Undè vulgatum: Qualis Princeps, talis populus. Et

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Bonos ergò & morigeros cives efficere desideras, *ordine, disciplinâ, doctrinâ, lege, censurâ, pœnâ, præmio & exemplo* efficere labora.

Hæc enim in universum media sunt, quibus cives ad rectitudinem vitæ perduci possunt: & quorum administratione Resp. conservatur.

De Rep. administrandâ.

HÆc de Jure constituto, Quod rectè, riteque administrandum & defendendum.

Administratio Reip. expeditur *Personarum munere & certâ formâ*

Quam adjuvant *Consilia & Senatus*

Undè agendum est de personis & munerib. certâq; formâ administrandi principalibus: tùm auxiliantibus.

De Personis administrantibus.

PErsonæ sunt *viri*, qui officio sivè munere certo Reip.gubernandæ à Principe vel vicario ipsius præficiuntur.

Viros dico: Nam mulieres ab officiis civilibus regulariter arcentur.

In hisce personis considerandæ sunt qualitates: tùm Modus præficiendi.

Qualitates Animi, *Natura* & *ingenium, Pietas, Religio* & *virtutes reliquæ, artes* & *linguæ, Sapientia* & *Prudentia.*

Deindè Corporis, *Temperamentum, Valetudo, Pulcritudo, Statura.*

Prætereà Hominis totius *Ætas* crescens & decrescens; *Juventus, Virilitas, Senectus.*

Denique externa bona; *Gens & patria, genus, Nobilitas, Fama, dignitas, autoritas, opes:*

Præter hasce communes Qualitates, sunt etiam considerandæ *propriæ* cuivis muneri singulatim congruæ, puta officio Sacerdotis, Magistratus, Judicis, Senatoris & Consiliarii; Legati & Oratoris.

Modus præficiendi consistit in *Electione*, quæ à *suffragiis* apertis aut occultis, vel *sorte* dependet.

Tum in *Confirmatione*, quæ plerumque *Juramento* & *instrumento* publico fieri solet.

De Muneribus.

HÆc de personis: Munus sequitur.

Munus est officium ad status alicujus Reip. modera-

moderationem & conſervationem pertinens, neceſſariò obeundum:

Perpetuum vel *temporarium.*

Eſtque vel *perſonale* vel *patrimoniale.*

Quandoquidem duo Reip. debentur: Operæ & opes, ſivè pecunia.

Perſonale eſt quod corporis labore & cum animi ſollicitudine & vigilantiâ expeditur.

Eſtque *publicum* vel *privatum.*

Publicum quod ad ſtatus publici gubernationem refertur.

Quod vel *ordinarium* vel *extraordinarium.*

Ordinarium certâ lege definitum, ſecus extraordinarium, quod in ſpecie curatio dicitur.

Hinc caput de *Curatione*, quæ Græcis ἐπιμέλεια, & de *Curatoribus* Reip.

Utrumque eſt vel *honor*, vel *Miniſterium.*

Honor eſt publicum munus cum dignitatis gradu.

Vel cum imperio & juriſdictione, vel ſine imperio.

Puta Sacerdotum, Magiſtratuum, Judicum, Senatorum, Legator:

Miniſterium publicum eſt munus oneroſum, dignitatis expers.

Quod interdum etiam *vile*,

Privatum quoad privatorum utilitatem.

Muneri perſonali ſolet plerumque remuneratio fieri *honorarij vel mercedis loco.* Quod Salarium.

Munus *patrimoniale* eſt quod ſumtu atque erogatione conſtat, & continet collationes ordinarias & extraordinarias, vectigal, tributa &c.

De formâ administrandi, quæ Politia dicitur.

FOrma administrandi est certa per munera personarum Rempub. administrandi ratio, convenienti modo & ordine, & dicitur *Politia*.

Modus consistit in imperiorum & honorum aliorumque officiorum legitimâ & congruâ communicatione & distributione.

Quæ vel Statui Reipubl. *similis* vel *dissimilis* est vel *mista*.

Resp. enim Monarchica gubernari potest ἀριστοκρατικῶς vel δημοκρατικῶς.

Aristocratica μοναρχικῶς vel δημοκρατικῶς.

Democratica vel μοναρχικῶς vel ἀριστοκρατικῶς.

Adeò ut sæpè triplex administrandi ratio commisceatur: & una alteri prævaleat Statu illibato.

Ordo administrandi à tempore & loco dependet.

Quã de causâ publicè expedit *tempus naturale Horologiis* artificialibus distingui.

Et singulis negotiis *sua tempora & loca* tribui, ut publica publicè in publicis locis: *Sacra* in sacris, privata in privatis privatim celebrentur.

Hæc politia & administrandi ratio pro numero classium Reip. quadruplex erit.

Sacra in ordine sacro, *Civilis*, *Militaris* & *Privata*.

Quæ pro varietate Rerumpubl. admodùm variant.

De Doctoribus & Sacerdotibus.

UNdè in politiâ sacrâ agendum erit de *Sacerdotibus* Ecclesiæ, de *Præceptoribus* Scholarum & rectione earundem.

Nec

Nec non de Ecclesiarum & Scholarum *administratione* & *inspectione*.

Quò *Scholarcha* & *Episcopi* referendi.

De Magistratibus.

IN Civili de *Magistratibus, Judicibus, aliisq; officialibus Oratoribus & Legatis.*

Magistratus est persona publica imperio publico præfecta.

Cujus officium est Jus Civibus demonstrare & jubere, ut secundum illud vivant.

Quod si vixerint, bonos & benemeritos legitimis præmiis adficere.

Quod si non vixerint, juxta Juris præscriptum, in delinquentes animadvertere.

Estque vel proximus Principi, vel intermedius vel infimus.

Unusquisque verò imperata Principis exequi debet, nisi contra DEUM & honestatem è diametro imperata.

De Judice.

JUdex est Persona, quæ notioni & definitioni causarum præest.

Cujus officium est causas verè cognoscere, & justè definire.

Et quia causæ Civiles & Criminales, Judex est *Civilis* vel *Criminalis.*

Isque ordinarius, vel extraordinarius, *Delegatus, Arbiter, Arbitrator.*

De Ducibus, Centurion:

AGendum quoque de Militaribus Magistratibus & Judicibus, Qui sunt *Duces, Centuriones* &c.

De Officialibus.

OFficiales sunt, qui aliâ quàm imperii & jurisdictionis potestate & munere funguntur domi, forisvé, qui varii.

Domi sunt *Nomophylaces* legum custodes.

Censores, qui vitia notant: *Sophronistæ*, qui moribus juvenum præfecti: *Gynæcocosmi*, qui mulierum: *Oenoptæ* qui conviviis.

Apodectæ & Questores sivè exactores pecuniarum.

Astynomi operum publicorum & privatorum curatores Murorum, viarum *Hodopæi*, Aquarum & Fontium *hydro & Crenephylaces*.

Agri mensores.

Agaronomi, qui nundinationi & negotiationi præsunt, qui & Emporii. *Sitonæ* qui præfecti frumento advehendo. *Metronomi* qui mensuris. *Sitophylaces* qui frumento & pani ut justo pretio vendantur; Et alii quàm plurimi.

De Oratoribus & Legatis.

ORatores sunt, qui orando Reipubl. inserviunt. Qui vel Oratores domi in specie dicti: vel foris. *Legati*, qui ad exteras gentes, sociasque civitates, de belli, pacis, fœderum &c. aliisq; negotiis publicis conficiendis publicâ autoritate mittuntur.

De Dispensatione bonorum publicorum.

HÆc de administrationis personis & muneribus: Administratio bonorum publicorum & ærarii fit per personas convenienti *dispensatione*.

Quæ

Quæ ſpectat *expenſas* ordinarias & extraordinarias, Neceſſ: Utiles & Voluptuar:

In *perſonas* publicas & *res*. puta Sacerdotes, & templa. Magiſtrat. & Curias; Duces, & armentaria &c.

Tum *in aulam* Principis.

De Politiâ privatâ.

DEnique *Politia* inſtituenda erit *Familiarum* & *Collegiorum*, puta Agricol: Mercat: Opificior. ut in illis omnia ordine & rectè fiant.

De Senatu & Conſiliis.

REſtat ut de Senatu & Conſiliis agamus:

Eſt enim opus in Rep. & politiis *conſilio*.

Conſulentes perſonæ ſunt *Conſiliarii*, quorum officium eſt conſulere.

Conſilium eſt ratio ſivè via recta deliberatione inventa, negotii honeſti & boni mediis congruis benè peragendi.

In quo *negotium* Honeſtum bonũ & opportunum: *Scopus* honeſtus & utilis.

Tum *media* ad finem perducentia, honeſta, commoda & poſſibilia conſideranda ſunt.

Eſtque Conſilium vel *Rectum*,

Vel *Obliquum*, quod in pace, *Dolus bonus ſivè Sophiſma Politicum*,

At in bello *Stratagema* dicitur.

Utriuſque ineundi modus eſt Communis, qui ab *invocatione & opitulatione numinis divini* dependet.

Vel proprius, qui *deliberatione* conſilii capiendi, quę in conſideratione rationum dubitandi & decidendi conſiſtit,

Et *executione* cœpti absolvitur, cujus partes *Gestio* negotii, *successus* & *eventus* gesti expectatus vel inexpectatus.

Inexpectati causæ *obstacula* esse solent *divina* & *humana*.

Porrò consulentes collecti *Senatum* constituunt.

Qui *ordinarius* est & communis, vel *secretior*, ubi pauciores & causæ arcanæ.

Vel extraordinarius & universalis, puta *Comitia, Diæta, conventus publici*.

Deindè concilium est vel *Sacrum*, ubi de negotiis Ecclesiasticis & Scholasticis.

Vel *Civile*, ubi de Statu & Republicâ, de legibus, privilegiis, pœnis, præmiis, Magistratibus, Judiciis, annonâ, metallis, ærario, nummis &c.

Vel *Militare* ubi de bello & disciplinâ militari, de feudis de fœderibus, de munitionibus &c. consultatur.

Ad exemplum Reipubl. privatis quoque consilia quædam permittuntur petenda à Theologis in causis sacris, à Jurisperitis in causis Juris controversi: à Medicis in morbis desperatis.

Undè *Consistoria Theologorum, Dicateria JCtorum, & Buleuteria* in benè constitutis Rebuspubl. in ejusmodi causis dubiis implorari videmus.

De Remissionibus, laxamentis, aliisq; voluptatis decoræ civium exercitiis.

HActenus de Muneribus & functionibus civium publicis & privatis: sequitur ut tandem de *laxamentis* dispiciamus.

Quando-

Quandoquidem laborum, studiorum & officiorum quædam debet esse vicissitudo & remissio.

Quę in honestâ voluptate & delectatione occupatur.

Quam *recreationes* animi & corporis pariunt: *utiles* partim, partim *ludicra*.

Utiles recreationes sunt omnis generis jucũda exercitia, quæ vel ad virtutes civiles, vel militares expediunt.

Ad civiles proficiunt conversationes civium in publicis & solennibus *conviviis*, quæ ad mutuam civium amicitiam, fidemq; colendam & confirmandam multum faciunt.

Sunt itaq; anniversarii quidã conventus & convivia publica, lautiori victu & potu, moderato tamẽ, instituenda. In quib. cives genio aliquantillũ indulgentes, labores & molestias civiles gaudio & facetiis, aliisq; colloqis honestis, utilib. & jucundis attẽperent & allevẽt.

Quo solennia *nuptiarum* convivia, & id genus alia referenda.

Ad mores quoque conformandos Civiles permittendi sunt ludi Scenici, *Comœdiæ & Tragœdia*.

Usus *Symphoniæ* & instrumentorum musicalium, Cujus rei causâ in plerisque civitatibus publicos *tibicines* & *fidicines* constitutos videmus; Item *concentus harmonicos campanellarum* &c.

Ad militares virtutes excitandas pertinet studium *venationis, Equitationis*.

Ludus *gladiatorius*; *lucta*; *hastilium certamen*, Turnier Ringelrennen.

Exercitium *Sclopetorum & arcuum* statis temporib.

Item lusus *pilæ*, qui ad sanitatem & agilitatẽ confert, in cujus usum loca & ædificia certa deputanda.

Cursus *super glacie* in Bataviâ frequens.

Lusus *latrunculorum* Schachtspiel/quò acies militaris repræsentatur.

Ad recreationes ludicras pertinet lusus *aleæ* & *chartarum*, quâ tamen in re certus modus adhibendus.

Saltationes, quæ etiam intra honestatis fines cohibendæ.

De tuendâ & defendendâ Republ.

ITa Resp. regitur: Defensio sequitur, quâ ab hostium injuriâ defenditur & tuta redditur.

Quod fit mediis internis & externis, vel utrisque simul.

Interna media dico; *Arma* & *munitiones*.

Externa *Amicitiam vicinorum* & *Fœdera*.

Hinc caput de armis & armatis, qui tractant arma.

De armis & Militibus.

ARma ab arcendo dicta sunt ea omnia, quibus hostem arcemus, quib. vel cominus vel eminus præliatur, ut tela, globi &c.

Sivè *terrâ marivé*, uti *naves* & instrumenta nautica, si regio sit maritima & portuosa.

Principi ergò opus erit *Armamentario*: in quo ad certum numerum militum arma classesvé & triremes &c. aliumque apparatum bellicum conservet & in promtu habeat.

Viri armati sunt *milites* vel imperantes, & dicuntur Magistratus militares.

Vel obtemperantes, Milites in specie dicti.

Utrique eligendi sunt, qui armis idonei.

Potius *domestici* quàm exteri.

Animo & corpore valentes.

Utri-

Utriusque symbola habet prudentia politica.

Electi *jurejurando* obligandi.

Magistratus militares sunt summi post Principem, & inferiores.

Summum *unum* esse plerumque expedit.

Milites cæteri sunt vel ordinarii vel subsidiarii.

Ordinarii, qui arte veluti continuâ militant.

Qui vel communes, vel qui satellitiũ Principis constituunt, & *prætoriani* dici possunt;

Subsidiarii sunt, qui rarenter vice quâdam militiam exercent.

Cæterum hi sunt vel *equites*, vel *pedites*.

Horum usus ubique:

Secus illorum.

Qui vel *cataphracti*, vel *levioris armaturæ*.

De Custodiâ militari tempore pacis.

ARmis ergò *Resp. tuenda tàm extra bellum*, quæ faciant, ne sit bellum, quàm in bello.

Nam pacis tempore semper est cogitandũ de bello.

Quâ de causâ *subditi ad exercitium armorum* præmiis propositis assuefaciendi sunt.

Magistratus extra bellum, qui constituuntur militares, *Præsides* seu Gubernatores dicuntur.

Milites *Limitanei* in terrâ.

Classiarii in mari.

In bello *Duces*, quorum summus Imperator.

De Bello.

B*Ello* Resp. defenditur demum.

Quod armorum publicorum justa contentio,

Quod actu & fine absolvitur justo.
Actus partes sunt *susceptio* & *gestio*.
Suscipiendum bellum justis de causis.
Autor ergò belli justi est *Princeps* in Rep.
Causa est *defensio*, ob quam bellum suscipiendum.
Defendimus autem vim & injuriam; dum vim repellimus.
Aut injuriam acceptam ulciscimur.
Hoc utile, illud necessarium.
Bellum justè susceptum est etiam justè gerendum.
Publicitus ergò *indicendum*.
Nisi clam aliquando rem suam recuperare opus sit.
Indictum geritur *prædationibus* ex hostilibus agris, *obsidionibus* & *præliis*.
Sed prævüs *consiliis* rectis & obliquis.
Recta consilia ineunt viâ rectâ quæ metitur prudentia militaris, ut habeatur loci, temporis, aliarumq; circumstantiarum ratio.
Obliqua *Stratagemata* dicta, occultim fiunt ex insidiis.
Vel *verbis* vel *factis*, vel utrisque
Finitur bellum vel *victoria*, cui *clades* contraria.
Victoriæ jure licita est *ultio*.
Quæ fieri debet moderatè in rebus & personis.
Vel *pactione* quæ belli compositio spontanea.
Quæ quantum fieri potest ineunda.
Ineunda autem *æquo jure* & *firmiter*.

De munitionibus, quibus Resp. defenditur & stabilitur.

MUnitiones cuivis Reip. expediētes sunt munimēta, quib. Resp. adversus impetū hostilē munitur.

Suntque

Suntque vel *Naturalia* vel *Artificialia*.

Quæ si conjungantur, mista dici possunt, priora simplicia.

Naturalia Reip. munimenta dependent à naturâ & situ; puta *ob asperitatem loci*.

Aut *beneficium aquarum* tàm stagnantium, quàm fluentium, sivè fluminum, sivè maris.

Artificialia sunt, quæ à manu hominum:

Suntque *aggeres* seu *valla*, & *mœnia*, *portæ*, *cataractæ*: tum *fossæ* latæ & profundæ: quæ vulgò Fortezze Vestung.

Munimenta sunt vel necessaria vel utilia.

Necessaria, sine quibus Resp. indefensa non manet, sed semper violentiæ hostis exposita est.

Quæ in confinio hostium ponenda, ut intereà corpus Reip. procul à periculo, & incursu hostium tutum sit, quæ *castra & arces* dixeris.

Utilia quæ populosam & ditissimam defendunt civitatem, aut in perfugium populo prosunt.

Porrò præsidia minus tuta sunt, nisi instructa sint.

Instruenda autem sunt *Annonâ, militibus, alioq; apparatu militari*.

Inprimis necesse est ut habeant *præsidem*, qui virtute, fide & experientiâ valeat, cui arx credenda.

De amicitiâ publicâ.

MUnitur deindè Resp. *amicitiâ mutuâ* vicinorum Principum & populorum.

Vel etiam dissitorum, qui licet præsentes auxiliari nequeant, saltem tamen absentes hostes communes cohibere, aut vias præcludere possunt, ne Remp. nostram irruant.

Aliàs Amicitiæ jus commune eſt *commerciorum & hoſpitii.*

Proſpiciendum itaque, ut *favor* illorum *benevolentia & beneficentia noſtra* erga Principes eorumq; ſubditos alatur, omnisque ſimultatis ſuſpitio avertatur.

De fœdere, clientelâ & patrocinio.

DEnique Reſp. ſtabilitur *fœdere*, cùm amicitia publica pacto firmatur.

Nam fœdus nihil aliud eſt, quàm publica & legitima Principum, populorumvé amicitiæ, auxiliiq; causâ facta conventio.

Cujus cauſæ & qualitates conſiderandæ.

Efficiens fœderis ſunt *Principes*, quibus ſummũ jus.

Forma conſiſtit in publicâ amicitiæ conventione.

Sine ullâ majeſtatis diminutione.

Finis generalis eſt *Amicitia* & *Pax*.

Specialis *Defenſio* aut *Offenſio* aut *utraque* adverſus hoſtes eoſdem.

Qualitas fœderis dependet à *pactis & conditionibus*.

Pacta ſunt, quæ cautiones æquiſſimas continent.

Et ſumuntur vel ex naturâ fœderis, ut Majeſtas illibata utrinque permaneat & libertas.

Vel aliundè præter Naturam Majeſtatis, quæ innumera eſſe poſſunt.

Veluti ſunt exceptiones alicujus populi & Principis, qui arbiter ſit in ſociorum controverſiis.

Item ut ne aliena patrocinia fœderati ſuſcipiant.

Deindè *perpetuo tempore vel definito* fœdus feritur.

Perpetuum fœdus redditur, cum Rex regi, vir viro, populus populo, Item cum Princeps pro ſe, ac ſuis hæredibus ac ſucceſſorib. imperii ſtipulatur & promittit.

Tem-

Temporarium autem fœdus est, quod certo tempore definitur, ut quousque Princeps vixerit.

Porrò fœdus est duplex: Æquum & non æquum.

Æquum est, quod æquâ Majestatis observandæ conditione percutitur.

Et fit vel cum amicis, vel hostibus, vel neutris, id est, qui neque amici neque hostes sunt.

Cum amicis, quod *amicabile* dixeris, cum qui nunquam hostes fuerunt, ad amicitiam sociali fœdere junguntur.

Cum *hostibus*, cum pares bello æquo fœdere in pacem atque amicitiam redeunt.

Quod si cum quibusdam, qui neque hostes, neque amici sunt, fœdus initur, *Neutrum* indigitatur.

Uti fit plerumque ab iis, qui intra fines hostium positi.

Horum officium est, à bellis sociorum abstinere &c.

Non æquum, quo liber populus seu Princeps Majestatem alterius comiter observare tenetur.

Estque vel cum Princeps impotentior sese in alterius *clientelam*, & quasi in tutelam trádere profitetur,

Quod vix, nisi necessitate urgente percutiendum:

Vel cum alterum quodammodo superiorem agnoscit & veneratur sine subjectione clientelari.

Clientelæ fœdus vel est *gratuitum*, cum clientes ab omni pensione immunes.

Vel *Remuneratorium*, cum tributum indictum dependitur.

Utque hoc genus fœderis impetu hostium oppressis tutum:

Ita periculosum, ne patronus libertatem clienti eripiat.

Properea eò cautius cautiones libertatis inserendæ, & tyrannidis viæ præscindendæ.

Ad exemplum fœderis solent & alii Principes & Civitates mutua *pacta defensionis & patrocinii inire*.

Quæ summus Princeps autoritate suâ confirmare solet.

Denique fœdus tamdiu firmum manet, donec desinat aut violetur.

Desinit contrario *dissensu* utriusque

Et *Renunciatione* ex causâ justâ:

Item *Morte* alterutrius.

Violatur quando fides fœderis frangitur.

LIBER



Liber Tertius De Rep. Amplificanda.

De Augmento Populi.



Actenus de fundatione & conservatione Reip. Restant tractandæ partes secundariæ, quæ à primis dependēt, *Amplificatio & Curatio* ejusdem.

Sequitur ergò, ut primum de *populi rerumq; incremento*,

Quo Resp. sivè Civitas *Magna & potens*, id est, *populosa, locuples & nummosa*, Volck / Gut vnd Geldreich redditur & indigitatur:

Tum ut de territorii & finium, urbiumque distensione & dilatatione agamus.

Incrementum familiarum.

P*Opulosa civitas* redditur augmento & *propagatione familiarum* frequenti.

Tum populi, hominumque *peregrinorum adscriptione* & receptione.

Populus enim augetur & copiosior redditur vel ex sese vel aliundè.

Undè medium internum & externum augendi populi.

Intus augetur populus familiarum incremento.

Quando benedictione divinâ & influentiâ cœlesti plurimis liberis singulæ familiæ amplificantur.

Deindè cum ex familiis familiæ propagantur, quod fit licentiâ & frequentiâ connubiorum.

Itaque Politicus & Princeps accuret, ut Cives liberis operam dent.

Spe præmiorum, privilegiorum & immunitatum propositâ.

Et metu pœnarum indictarum, si qui matrimonia & propagationem prolis fugiant aut impediant.

Frequens peregrinorum commigratio & receptio.

ALter modus quo populosior civitas reddiditur aliundè, consistit in populi hominumque peregrinorum commigratione frequenti, atq; adscriptione: cum exteri facilè in numerum civium recipiuntur

Causæ vero, quæ peregrinos impellunt, ut se in Civitates conferant, domicilio pristino relicto, multæ sunt.

Nam peregrinis populis invitamento esse solet,

Vel *vita civilis*, quæ legitimo imperio & obsequio continetur.

Cui cohæret seu potius inhæret *pax publica & privata.*

Vel *verus cultus DEI*, & vera religio, quæ ad verum DEUM ducit.

Justi-

Juſtitia & Juris obſervantia.

Artium & ſcientiarum ſtudia & Scholæ florentes, in quibus animus excolitur.

Agricultura, rei pecuariæ & metallicæ commoditas & emolumentum. Siquidem naturâ homines amore ſui conſervandi ducuntur.

Opificiorum & artificiorum, quibus maxima pars hominum vitam ſuſtentat lucroſa induſtria & frequentia.

Oportunitas *mercaturæ*, cui quàm plurimi operam navantes diteſcunt.

Loci Salubritas.

Situs *Amœnitas.*

Venationum, piſcationum, aucupiorum occaſio.

Adeò ut *voluptate & jucunditate* rerum homines adfecti ſæpè nullibi magis vivere & commorari deſiderent, quàm iis in locis, ubi deliciarũ copia haberi poſſit.

De incremento rerum.

HÆc de modis, quibus Civitas populoſa efficitur: *Rerum incrementum* penè iiſdem conſtat.

Nimirum induſtriâ *Agriculturæ, pecuariæ, Metallariæ, Opificiorum, mercaturæ*.

Uti enim rerum naturalium ſufficientia hiſce mediis paratur: ita & abundantiam frequenti eorum ſtudio procurari conſequens eſt.

Ita & *Nummorum copia* dependet à crebris rerum naturalium & artificialium commerciis.

Quod publicam pecuniam, ſivè *ærarium publicum* augendum attinet: id compendiorum ordinariorum & extraordinariorum augmento creſcere ſolet.

Tum quoque impendiorum modo & parſimonia.

Hi modi rerum auctionem per se pariunt.

Cæteri per accidens. Quales sunt:

Frequentes & assiduæ populorum in iisdem partibus Reipublicæ degentium aliundè profectorum *conversationes*.

Quibus causam præbent, *Tribunalia summa*, Cammer vnd Hoffgericht/appellationis.

Ubi hominum quos Judiciis præesse & interesse oportet conventu non potest rerum & nummorum copia non subsequi.

Academiæ & Gymnasia, in quibus Doctores & Discipuli, incolæ & exteri congregantur.

Principum aulæ vulgò die Residentz/in quibus aulici, consiliarii, legati exteri versantur.

Sedes Comitum, Baronum, Nobilium, qui splendore vitæ & magnificentiâ multùm civitatibus expediunt.

Nundinæ & publici mercatus, *Portus*, *via publica* Niederlagen.

Perlustrationes quoq; *& peregrinationes* hominum Civitatibus emolumento esse solent.

Quibus ansam dant præter cætera, Benè constitutę *Politia, magnificentia ædificiorum* & structurarum, *insolentia* rerum admirabilium naturalium & artificialiũ, veluti sunt, pyramides, obelisci, theatra, thermæ, fontes, aquæ ductus &c.

Quemadmodum & *amœnitas montium*, vallium, aquarum, sylvarum, hortorum &c. plurimos ad visendum invitat.

Præter hosce modos & causas sunt & alia *singularia invitamenta*.

Quibus exteri & ad habitandum & ad contemplandum al-

dum alliciuntur, Uti olim Romæ Asyla, Ludi Spectacula, & id genus alia.

De ampliando Territorio.

TErritorii dilatio & distensio finium fit
Vel *voluntate* spontaneâ & contractu:
Vel *bello* legitimo.

Sine vi imperium dilatari potest, cum populi, urbes, provinciæ se *spontè subjiciunt*.

Aut *contractu* quodam & titulo civili Reipub. accedunt, puta emptione, dote, donatione &c.

Deindè Resp. municipiis, urbibus, pagis, vicis *novi ædificatis* amplior redditur.

Quorum populus vel *Coloniis* ex aliis Civitatibus, pagis & vicis deducitur.

Vel suprà dictis modis ex populis exoticis colligitur & assumitur:

Vel cum populi feri ad mansuetudinem rediguntur.

Bello denique regiones, provinciæ, regna, principatus, ducatus, urbes, oppida adquiruntur & Reip. subjugantur.

Et hi sunt modi legitimi: de illegitimis infrà.



LIBER QUARTUS DE REP. CURANDA.

HACTENUS actum est de Republica fundanda, conservanda & amplificanda.

Denique hac ultimâ parte dispiciendum erit de *curatione* ejusdem, quæ morbis obnoxia est.

Quanquam enim Respub. quàm sapientissimè fundetur & quàm prudentissimè gubernetur, fieri tamen non potest, quin aliquando morbis & malis incivilibus inficiatur, infecta corrumpatur, corrupta mutetur, tandemque destruatur.

Propterea quod in humanis nihil stabile, omniumque rerum sit vicissitudo, ortus, incrementum, decrementum & occasus.

Idcircò prudentiâ civili *malis imminentibus obviandum* est: vel *grassantibus medendum*. Utrumque consistit in Curatione.

Primùm itaque de morbis, eorumque causis: Deindè de prognosticis & remediis videbimus.

De

De Morbis Reipub.

M*Orbus* civilis est habitus Reipublicæ contra naturam.

Sivè est malum civile quod esse & salutem adeoque beatitudinem Reip. infestat, labefactat, turbat, & tandem destruit, dum fines subordinatos, actionesque & media ad eosdem ducentia impedit & cohibet: tandemque ad corruptionem & ruinam detrudit.

Hæc itaque mala cum constitutioni & beatitudini civili sint contraria, ex differentiis bonorum civilium desumi & deduci oportet.

Dividi autem possunt in duo summa genera. Quædam enim sunt prima; quædam secundaria.

Primaria mala sunt quæ perfectioni humanæ & civili adversa sunt, nempè quæ fini intermedio & summo Reip. obstant.

Summo bono in Rep adversatur summum malum quod est *disunio DEI ab homine*. Cum Deus Rempub. hominesque in eâ viventes deserit, sui cognitione & vero cultu adempto.

Deindè Justitię quam homo homini debet, contrariatur *Injustitia & Anomia*, quâ homo ab homine alienatur, adeoque cognatio & conversatio civilis turbatur & destruitur.

Prætereà cognitioni rerum divinarum & humanarum opposita est *inscitia & insipientia, cum Barbaries in Repub. dominatur.*

Quæ tria mala extremam imperfectionem in Rep. pariunt, eamq; enormiter lædunt & tandē prosternūt.

Post hæc mala animi: sunt & Corporis *invaletudo civium*, inprimis *Contagia, pestes, lepra, dysenteria, lues Venerea* &c. quæ Reip. admodum noxia.

Sunt quoque mala, quæ perfectioni civili adversantur, puta *Ignobilitas, & Vilitas*, quæ flori nobilitatis, *honorum vilipendium, ordinum & graduum confusio, contemptus & prostitutio.*

Denique deficientia rerum naturalium & civilium, id est, *Aëris insalubritas, Aqua & potus Annona, carentia aut corruptio; item rei medicæ neglectus; Nummorum defectus & adulteratio; rerum publicarum & privatarum confusio: Agrorum publicorum neglectus & defectus: & inopia Ærarii.*

Singulorumque civium *paupertas* & *æs alienum*; *Multitudo miserabilium personarum, expositorum infantium, orphanorum, viduarum, egenorum, claudorum, militum mutilatorum, mente captorum, senum decrepitorum* &c. mala Reip. haud minima sunt.

Quæ sequitur *Fames, Sitis, Mendacitas.*

Secundaria mala & prima consequentia sunt illa, quę vitæ civili opponuntur, quæ in nexu imperantium & obsequentium consistit.

Quæ vel in partibus, vel in toto suboriuntur.

Quoad partē cum Resp. mutatur in Familiis & Civitate, *decremento & ruinâ familiar. & civium:*

Vel in Politiis, cum sacra, Sacerdotes: Magistratus, Judicia, Consilia, Collegiorum & familiarum regimina violantur.

Quoad totum cum Resp. vel ratione administrationis, vel status mutatur aut interit.

Ratione administrationis, cum legitimum imperiū in illegitimum degenerat, quod *Tyrannis* dicitur, quando Princeps contra jus divinum & humanum imperat: Ubi quod libet, licet.

Vel *Marte aperto vel occulto*, id est, vi vel dolo.

Hisce

Hiſce enim artibus omnes Tyranni utuntur.

In Monarchico ſtatu Tyrannidis nomen retinet.

In paucor. *Oligarchia*, in populari *Ochlocratia* dicitur.

Deindè adminiſtratio mutatur cum in aliam tranſit, puta cum Ariſtocratica adminiſtratio in populari ſtatu transfertur in Monarchicam &c. quæ translatio dicitur *Alliœſis*.

Status verò mutatur, cum vel corrumpitur: vel convertitur.

Corrumpitur cum Imperium ſummum & obſequium confunditur, & dicitur *Synchesis*.

Convertitur ſtatus, cum præſens in alium transformatur.

Quæ *Anaſtrophe* Reip.

Et quia ſtatus triplex, verſâ vice ſex oriuntur converſiones.

Nam Monarchia converti ſolet in Ariſtocr: aut Democrat:

Vel contra Ariſtoc: in Mon: aut Democrat, vel Democrat: in Monarch. & Ariſtocratiam.

Intra corruptionis & converſionis terminos ſæpè *interregnum incidit*. Quod eſt ſtatus ſuſpenſio, donec de Majeſtate & Statu decernatur.

Hiſce malis cohærent aut coincidunt *Bellum* & *Diſcordia* privata.

Bellum inteſtinum, *Rebellio* populi adverſus Principem.

Seditio adverſus Magiſtratus, *Factio* inter ipſos cives.

Tum *bellum externum*, quod inter Principes & populos exteros committitur.

Denique Diſcordia privata ſivè *diſſidium in Collegiis & corporibus: nec non familiis.*

Hoc pax & unio privata: illo publica turbatur & discinditur.

Tandem Resp. corrupta interire solet, cum in *Anarchian* degenerat, ubi nemo imperat, nemo obtemperat in publico & privato cœtu.

Vel cum *populus deletur* igni, aquâ, peste, gladio &c.

Finis verò *omnium Rerump.* in fine mundi existet,

Quando DEUS novum cœlum & novam terrã creabit, & regnum cœlorum inchoabitur, & in æternum durabit.

Quod perfectius erit primævâ civitate DEI & paradisi, in quo θεὸς ἐν ⟨τὰ⟩ πάντ' ἐν πᾶσιν: & homines similes erũt angelis corporibus clarificatis: & nihil nisi pax & lætitia in conspectu DEI.

Uti autem olim falsum fuit figmentũ de *aureo seculo* præterito, itâ & de *futuro* somnium & phantasma est.

Morbi itaque Reip. summatim enumerari possunt.

Disunio DEI, Injustitia, Barbaries, Invaletudo, Mala civilia, Deficientia rerum,

Corruptela & ruina politiarũ publicarum & privatar.

Tyrannis, Alliosis, Synchesis, Anastropha, Interregnũ, Rebellio, Seditio, Factio, Bellum, Discordia, Anarchia & interitus Reip.

Quæ Reip. & Statui: ejusq; finibus, partibus & politiis adversantur.

Reip. Anarchia & Deletio interitusque populi opponitur:

Paci Rebellio, Seditio, Factio, Bellum, Discordia.

Statui Synchesis, Anastrophe, Interregnum.

Administrationi Tyrannis, Alliosis.

Partibus Reip. Decrementum & ruina familiarum, nec non civium: item urbium & provinciarum.

Poli-

Politiis Corruptelæ singularum Sacræ, Civilis, Militaris & privatæ.

Causæ morborum civilium.

HÆc de morbis in universum dicta sunt; necesse est jam ut de causis eorum agamus.

Causas intelligo, quæ vel per se, mala Reip. pariunt, aut ansam & occasionem saltem præbent.

Quæ vel sunt remotæ vel propinquæ.

Remotæ sunt *providentia DEI* sivè fatum: tum *influentia cœlestis.*

Undè *vices & periodi* Rerumpub. quasi naturales & ordinariæ.

Propinquæ sunt quæ propius ad effectum accedunt & veluti media sunt, quibus mala in Rep. fiunt.

Quamvis sæpè numero cum morbis convenire videantur.

Ut enim in corpore humano interdum morbus causa est alterius morbi, & per se morbus: ita & in Repub. causa mali, & malum per se esse solet.

Morborum itaque causas secundum seriem propositam investigare expedit.

Disunionis DEI causa est potissima *Relligionis defectus & corruptio*, quando nulla religio aut corrupta in Rep. habetur.

Quod fit cum *Atheismus* & *Epicureismus*, *Idololatria* & *Magia omnis generis, Superstitio, Astrologia, Hæresis* & *multitudo religionum.*

Cum *Blasphemia*, *Execrationes*, *Apostasia perjuria* &c. *Profanatio Sabbathi.*

Deindè cum & quævis alia *ἀνομία & injustitia* adversus secundam tabulam in Rep. grassatur.

Veluti est *inobedientia publica & privata.*

Homicidia, Autophonia, Latrocinia, Injuriæ, Inimicitiæ, Odium, Vindicta, Audacia, Anathemeta, Imprecationes &c. *Libido, Scortatio, Ebrietas, Luxus, Lascivæ saltationes, Lupanaria, Lenocinia.*

Furta, rapinæ, prodigalitas, avaritia.

Mendacia, Doli, Calumnia, Contumelia.

Convitia, Famosi libelli &c.

Quibus vitiis & delictis summa iniquitas adversus legem DEI & Jus Gentium in Remp. invehitur, & unio civilis turbatur & disrumpitur: DEUS verò ad justitiam & pœnam adeoque vultus sui occultationem invitatur.

In singulis verò ordinibus & politiis singularia exindè suboriri solent delicta.

In Politiâ sacrâ *Simonia, Hypocrisis, Sacrilegium, Profanatio rerum sacrarum, Violatio sepulcrorum* &c.

In civili *Principis impietas & improbitas.* Quo omnis generis vitia Principum referri oportet.

Magistratuum *crudelitas, lentitudo, indulgentia & impunitas, asyla* &c.

Judicum *adfectus, temeritas, corruptio, arbitrium cerebrinum* Eigenköpffisch Recht und Willkühr.

Advocatorum & Procuratorum doli, tergiversatio.

Consiliariorum *præcipitantia, πάθος* &c.

Item in militari statu Ducum, Centurionum & delicta militaria.

In imperiis, judiciis & consiliis ἀταξία.

Quibus cohærent plurimi abusus *Monomachia, Gladiatura, probatio per aquam frigidam* &c.

Leges & consuetudines *irrationales*, legum *defectus, dubietas, obscuritas, confusio, multitudo, dissensio* &c.

Pœnarum

Pœnarum *defectus & abusus. Item præmiorum.*

Scandala Principis, Magistratuum &c.

Rerum intuitu crimen *Peculatus, repetundar.* &c.

Civium verò vitia & delicta *inobedientia, rebellio, crimen læsæ Majestat. defectio, tumultus, conspirationes & conjurationes, illicita collegia.*

Illiciti & dolosi contractus, Monopolia, illicita usura, corruptela mercium &c.

In Statu verò familiari *rixæ, adulteria, ἀστοργία, contumacia liberorum* &c. *Domini sævitia,*

Pupillorũ *libido & neglectus:* doli *tutorum, curatorũ.*

Undè crimina in publica & privata distingui possũt.

Et hæc de causis injustitiæ, i.e. de vitiis & criminibus generatim & speciatim in singulis politiis consideratis.

Quorum & variæ esse possunt causæ & occasiones, de quibus suo loco per discursum fusius.

Præter hæc communia delicta & vitia, quæ Legi DEI & Juri Gentium aversantur, *sunt & alia civilia* & Reip. propria, in quâ tantũ pro turpibus & incivilib. habẽtur. Quæ propterea etiam vitæ civili adversari censentur.

Porrò causæ, *quæ Barbariem in Remp. inducunt, sunt artium & studiorum neglectus aut planè defectus.*

Malorum verò civilium causa esse solet *iniqua aut nulla præmiorum distributio* &c.

Morborum & contagiorum variç causæ esse solent, *Intemperantia civium, impuritas aëris, cloacarum immundicies & fœtor: viarum spurcities.*

Denique rerum naturalium defectus proficisci solet *à neglectu Agriculturæ, Metallorum, Opificiorum & Mercaturæ.*

Nummorum deficientia & corruptio *à defectu metallorum & exportatione illicitâ* &c.

Ærarii publici inopia *à medüs deficientibus, nimiis expensis* &c.

Paupertatis civium causæ esse solent *Otium, pigritia, prodigalitas, luxus in victu & amictu, in ædificiis, in conviviis: nimia contributiones & immensa vectigalia.*

Præterea *Calamitates publicæ, Lues & interitus animantium, Pestis & contagia, Incendia, Diluvia, Pluviositas, Ariditas, Sterilitas, Nix immoderata, Grandines, Fulmina, Terræ motus, Naufragia, Locustarum copia & edacitas murium, Ursorum & luporum grassatio. Commeatus & transitus frequens militum.*

Denique *nimium incrementum populi & Fex hominum, validi mendicantes, Cingari, Moriones, Decoctores bonorum, Banditi, Milites vagabundi, Peregrini suspecti, exploratores & prædatores, agyrtæ, Histriones, Circulatores, ollæ fortunæ professores, rabulæ, otiosi, spectaculorum spectatores, frequentantes popinas,* valdè incommodant Reipubl. emolumento.

Et hæc in universum & summatim de causis primi generis malorum civilium.

Familiarum verò & populi decrementi *mors naturalis, pestis, & cœlibatus, connubiorumq́; contemtus*, non minima causa est.

Corruptelæ etiam, quæ singulas politias adficiunt, plurimas causas habent.

Uti etiam Tyrannis, Alliœsis, Synchesis, Anastrophe, partim superius dictas communes causas: partim singulares in quovis statu habent, de quibus suo loco & tempore prolixius.

Satis sit jam indicasse summariè, qui morbi & quæ causæ eorum in Rep. emergere soleant.

De

De Prognosticis morborum civilium.

HActenus de morbis & causis eorum: sequitur Curatio, quę *Prognosticis & Remediis* perficitur.

Cum enim nullum malum politicum curari possit nisi antè cognitum fuerit, atque sæpè Principes & Magistratus vitia & defectus lateant; Ideò necesse est, ut in morbos imminentes & præsentes sivè etiam futuros inquirant.

Quod fit *exploratione* omnium negotiorum, conatuum & animorum Principum & populorum exterorum inprimis vicinorum, utrum benè an malè in nostram Remp. adfecti sint.

Tum *inquisitione* vitiorum & criminum aliorumq; defectuum, qui in Rep. occurrant & occultentur.

Quod institui potest modo aperto vel occulto.

Quâ de causâ & *proditiones* tolerandæ & fovendæ.

Interest enim Reip. & Principis mores, nutus, consilia & facta non tantùm civium, verùm etiam Magistratuum aliorumque ministrorum publicorum notasse & observasse &c.

De Remediis.

R*Emedia politica* sunt, quæ malis in Rep. πολιτικῶς medentur.

Quæ etiam applicanda vel *ratione rectâ vel obliqua* & occulta. Adeò, ut quando via recta in curandis malis præsertim necessitatis tempore procedere in tutum videatur, tutius arte quâdam & sophismate civili utendum sit.

Medendum enim est malis civilibus appositè, citò & tutò, prudētiæ ductu, si rectè mederi velis, quod, ob circumstantiarum obstacula, mediis ordinariis modoque aperto experiri semper non licet.

Et quia morbus à causâ initium & progressum capit, *causa*, quantum fieri potest, primùm removenda est, post ipsum malum, vel saltem, ut causâ sublatâ, morbus suâ sponte cesset.

Inchoandum quoque *ab iis malis, quæ pernitiosiora* & periculosiora cæteris.

Qualia sunt quæ adversus *statum & salutem Reip.* tendunt.

Extremis malis extrema remedia quærenda. *In inveteratis* sæpius reiteranda: *Publica mala* in curando privatis præferenda: *Novis* nova antidota aut similia veteribus adhibenda.

Interim *pluribus malis* concurrentibus, *minus fuerit tolerandum*, ut deteriora saltem ordine & successu temporis tollantur.

Hæc remedia politica esse solent, *coërcitiones civiles, censura, pœna*, & id genus alia media.

De Prophylacticis.

Porrò Remedia sunt duplicia, Prophylactica & Therapeutica.

Cum mala sint imminentia vel inhærentia.

Prophylactica medicina politica occupatur in morbis, causisque morborum imminentibus avertendis, ut Remp. à corruptione præservet.

Remedia itaq; Prophylactica antè omnia tentanda: Cum melius sit prævenire, quàm post vulneratam caussam remedium quærere, juxta illud:

Principiis obsta, serò medicina paratur.

Præscindendo nimirum non tantùm causas malorum proximas, verùm etiam remotas & occasiones. Adeò ut priusquam malum imminens existat & vires capiat, aversum fuerit.

De

De Therapeuticis.


QUod si mala jamdudum radices egerint, adhibenda sunt Remedia *therapeutica*, quæ malis infixis medentur, ea vel *mitigando* vel *tollendo*.

Cum mala sint medicabilia quædam; quædam immedicabilia, quæ admodum tenacia & inveterata & veluti hereditaria, *Quæ plerumq; populorum sunt singularia*, & universos populos inficiunt, ut sine detrimento & interitu totius Reip tolli non possint, mitigatione tantummodò utendum est, ut ne dum partem curare velis, integrum corpus destruas.

Cæteris quæ salvâ Rep. eradicari possunt, minimè connivendum est.

Restaret jam ut singulorum morborum & malorum civilium medelam ordinè instituerem, nisi modum partitionum excedere viderer. Idcircò totum medendi negotium Institutionibus Politicis reservabitur, quod tamen interim prudentiæ Politici commissum velim.

Τῷ Θεῷ μόνῳ δόξα.



ELENCHUS,
sive
SERIES LIBRORUM
& capitum.

ELENCHUS LIBRI I.
De Repub. Fundandâ.

De Obse-

ELENCHUS LIBRI II.

De Repub. Conservandâ.

cora

ELENCHUS LIBRI III.

De Repub. Amplificandâ.

ELENCHUS LIBRI IV.

De Repub. Curandâ.

FINIS.